ANTIDOTUM AD POSTULATA DE INTERIM: AUTHORE REUERENDO IN...

Robert Ceneau

Digitized by Google

AVTHORITATE *Reuerendiſſ. in Chriſto patris, & illuſtriſsimi Principis, ac domini noſtri D. Hippolyti, miſeratione diuina S. Mariæ in Aquiro S. Romanæ eccleſiæ diaconi Cardinalis Ferrarien. nuncupati, Archiepiſcopi ſiue adminiſtratoris perpetui & Comitis Lugdunen. Galliarum Primatis: inhibetur expreſsè cunctis, præter Mathiam Bonhõme impreſſorẽ Lugduni, ſecus conuentum fratrũ Cæleſtinorũ commorantem, ne hinc ad bienni um hodie inchoandum hoc opuſculum, cuius inſcriptio eſt: Antidotũ ad poſtulata de Interim, authore Reuerendo in Chriſto patre D. Roberto, diuina gratia Epiſcopo Abrincen. quod idem Mathias proprijs ſumptibus imprimere curauit: neq; imprimere, aut alibi impreſſum uendere ſeu aliter expedire audeãt uel præſumãt, ſub pœna excõicatiõis, & omni alia arbitraria, quam incurrere poſſent contrarium faciendo, prout latius in literis priuilegij huiuſmodi habetur. Datũ Lugd. vndecima Octobris, anno. M.D.XLVIII. ſic ſignatis Ponchon, & ſigillo cameræ præfati Reuerendiſsimi domini noſtri Cardinalis, cera rubea cum duplici cauda impendenti, ſigillatis.*

IL EST PERMIS à Maſſe Bonhomme Imprimeur de Lyon d'imprimer & expoſer en vẽte publicque vn petit traicté intitulé, Antidotũ ad poſtulata de Interim, cõpoſé par Reuerẽd pere en Dieu, Robert Eueſque d'Auranches, Docteur en la ſaincte faculté de Theologie à Paris: Auec ĩhibitiõs & defences a to' Imprimeurs Libraires & aultres perſonnes quelconques, de ne imprimer & faire imprimer n'expoſer en vente leſdictz traictez iuſques à vn an prochainemẽt venant, & cõſecutif de la datte des preſentes. Sur peine de confiſcation deſdictz liures & d'amende arbitraire. Faict à Lyon le vnzieſme iour du moys d'Octobre, Lan mil cinq cens quarante huit.

Signe Du Peyrat.

In reprimendis, aut potius ſupprimendis, Interimenſibus poſtulatis (quæ de Interim uocant) adhibenda cautio:

PIO LECTORI ANTIDOTVM.

RECTE ET, VT *cætera omnia, prouidè à Sapiente dictum legimus: Prudens videt & præcauet, ſtultus tranſilit & cõfidit. Nuſquàm autẽ quàm in rebus ſacratioribus fœdior eſt lapſus, nuſquàm grauior ruina. Sunt & falſa remedia veris nonnunquàm periculis atrociora: vt eſt in cap. De homine. de celebratione miſſarũ. Quid enim facias, dum relicta à vulnere cicatrix, aut fœdius putet, aut lædit atrocius, quàm ab initio vulnus inflictum? Idq; tum maximè, cùm decipimur ſpecie recti, cumq;*

ſub dulci melle dira venena latent. Anteuer-*tendam idcirco, aut (ſi fieri poteſt) lucrifaciẽdam, diram hanc iacturam exiſtimaui: ne meo aliqua ex parte deeſſem officio.* Homo *enim cùm ſim, & Dei munere Chriſtianus, Chriſtianum à me nihil alienum exiſtimo.* Dabũt *alij meliora: ego quod conijcere poſſum, lubẽs & ſine inuidia communico.* Dabunt *forſan hæc minutula cordatioribus viris facilẽ ad potiora viam. Scriptum enim eſt:* Da *ſapienti occaſionem, & addetur illi ſapientia.* Nec *differendũ exiſtimaui, illud animo aduertẽs:*

Elleborum fruſtrà, cùm iam cutis ægra tumebit,
Poſcentem videas, venienti occurrite morbo.

Contrà verò:

Nulla ſuo res eſt, ſi ſit data, tempore vilis:
Apta ferunt magnam tempora rebus opem.

Prælucebo *itaq;, ſi aliud nequeam, ijs qui ſe opponere voluerint murũ pro domo Iſraël, quaſdam depulſurus tenebras, quas maximè appetunt veræ lucis oſores, ac Chriſtianæ neglectores diſciplinæ (quam ſcilicet oderunt cane peius & angue:) quos relinquentes iter*

rectum, delectat potius quàm iuuat incedere per vias tenebroſas. Lætantur autem, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Sequar itaq; immò potius perſequar veſtgia quorundam, quæ in manus meas venerunt Poſtulatorum, quæ etiam nondum typis æneis excuſa mihi videre licuit: id prohibente (vt par eſt credere) in tam turpi cauſa pudore. Quod ipſe tu pie lector, re perſpecta apertius intelliges. Viſum itaq; eſt ordiri hanc telã à prima Poſtulatorum origine, hoc eſt à fonte malorum, & neglectis quibuſdã leuioribus, præcipua huius carcinomatis capita retundere: ne diutius malũ iſtud, vt cancer, ſerpat. Hîc ergo exordiũ eſto, modò id præfatus fuero: Habeant hæc vicem cuiuſdam præmonitionis. Tela enim, quæ præuidentur, minus feriunt. Vtiliorq́; eſt clypeus ante vulnus, quàm poſt acceptam ſera medela plagam. Dixi vobis (ait Chriſtus) priuſquàm fiat, vt cùm factũ fuerit, credatis. Si tamen id eueniret: (quod Deus auertat) cenſeatur interim id quod dicendum eſt, vel ad-

uerſus morbum præſentẽ pharmacum, aut certè contra imminens periculum: ne forte obrepat non prorſus inutile antidotum. Cur enim mihi non liceat nonnulla interim præmittere, cùm ſibi licere velint non pauca nullatenus audiẽda ſub forma [Interim] poſtulare: Sic enim pes pede conteritur, vmbone repellitur vmbo. Pugnandum enim eſt communibus armis, pari libertate, & legibus æquis.

EPITOMA RESPONSIONIS AD PROPOSITA per [Interim] non tam per modum, quàm præter omnem religionis modum (vt fertur) oblata.

[Scriptum partim ad Interim, vt vocant, pertinens.]

Reſponſio.

PRAECEPTA Decalogi negatiua ſemper & ad ſemp obligant. Nullum ergo recipiunt [Interim] Cõcubitus igitur ſacrilegus, ſpurciſsimus, & inceſtuoſus diſdigamus nõ recipit [Interim.] Scriptum enim eſt: Quaſi à facie colubri fuge peccatum. fuga certè eius, qui incautus obuium compreſsit calcibus anguem, lentam non capit vlla moram. Rectè ait Naſo:

Vidi ego, quòd quondam fuerat ſanabile vulnus:
Dilatum, longæ damna tuliſse moræ.

Idq́; ipſum vidimus,& nos maiora his & deteriora,niſi dominus nobis placatus auertat,aliquando viſuri.

Non patitur [Interim] fama, fides,oculus: vbi qui differt,odioſior eſt negante .quod argutè annotauit Martialis,qui in Cinnam ait:

Primum eſt,vt præſtes,ſi quid te Cinna rogabo:
Illud deinde ſequens,vt citò Cinna neges.
Diligo præſtantem,non odi Cinna negantem.
Sed tu nec præſtas,nec citò Cinna negas.

Prorſus igitur negandum,quod Deo ſummopere diſplicet:nihil timidè differẽdum,neq; ad momentum quidem,nictúmve oculi.Cõſpuẽda ſunt hæc à viro Chriſtiano , nec vllatenus palpanda.Nihil cunctandum,dicente Chriſto: Qui non eſt pro me,contra me eſt:& qui non colligit mecum , diſpergit . Vſquequo (zelo Dei accenſus aiebat Elias) claudicatis in duas partes? Si dominus deus eſt,illum ſequimini : ſi verò Baal, ſequimini illum.

Nõ recipit [Interim] Chriſti domini ſentẽtia, dicẽtis : Qui me erubuerit,& meos ſermones: erubeſcã & ego eũ coram patre meo.Nec ſufficit non conſentire : reſiſtendum enim eſt etiã eminus hoſte perſpecto . Reſiſtite diabolo(ait Iacobus)& fugiet à vobis. Ob eam rem queritur dominus per Prophetã : Nõ fuit qui ſe op-

poneret murum pro domo Iſraël.

Pax ſolida nullas admittit inducias, de qua Chriſtus dominus: Pacem meam do vobis: nõ quomodo mũdus dat, ego do vobis. Mundus dat ſuam pacem frigidè, calidè, timidè: Deus verò apertè, integrè, ſolidè, nulla interueniente dilatione, aut ſimulatione.

Non recipiunt hæc verba [Interim] quæ apud Pſalmiſtam legũtur, Pſal. quadrageſimonono: Peccatori dixit deꝰ: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinã, & proieciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedẽs aduerſus fratrem tuũ loquebaris, & aduerſus filiũ matris tuæ ponebas ſcandalũ. Hæc feciſti, & tacui. Exiſtimaſti iniquè, quòd ero tui ſimilis: arguã te, & ſtatuam peccata tua contra faciem tuam: At quid ſibi vult iſtud [Interim] niſi tolerantiam ſpurciſsimi, ſacrilegiq́; concubitus, ſacrilegæ etiam ac violentæ rapinæ? Audite hæc, ô Interimenſes, ne vos repentinus ſequatur interitus. Vos, inquam, qui obliuiſcimini Deum: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat.

Interim iſtud, torpor quidã eſt, cæcoq́; vapor

de gurgite natus:
Somniferæ lethes nubem qui inducit opacam
Mentibus humanis, fideiq́; obliuia ſanctæ.
Deniq; procul à nobis depellit hunc melle litũ gladium Interimenſem diſertiſsimis verbis Ioſue, capite penultimo, ita dicens: Hoc tantùm diligentiſsimè præcauete, vt diligatis dominũ deum veſtrum. Quòd ſi volueritis gentium harum, quę inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atq; amicitias copulare: iam tũc ſcitote, quòd dominus Deus veſter non eas delebit ante faciem veſtram, ſed erunt vobis in foueam ac laqueum & offendiculũ ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris: donec vos auferat atq; diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.
Tu verò mihi vide, quid inſinuet, quidúe minetur his pręuaricatoribus: viris, inquam, dupli ci corde, qui gradiuntur duabus vijs. Erunt, inquit, hoſtes vobis flagellum à tergo, à fronte verò acumina quædam ante oculos: ita vt neq; progredi, neq; regredi valeatis. Audituri ſcilicet, Vbi ſunt Dij veſtri, in quib⁹ habebatis fiduciam? illi in neceſsitate vos protegant.
Collige itaq; iſtud nihil aliud eſſe quàm anathema, de quo apud eundem Ioſue capite ſexto ſcriptum eſt: Maledictus vir coram domino,

qui ſuſcitauerit & ędificauerit ciuitatem Iericho: In primogenito ſuo fundamēta illius iaciat, & in nouiſsimo liberorū ponat portas ei⁹.
Nolunt luxu iſti perditiſsimi Interimēſes (hoc barbaro vocabulo mihi vti liceat in re maximè barbara) nolunt, inquam, ciborum ſibi præſcribi delectum, vt pinguioribus vti liceat, nempe medullatis, & ſucco vindemię defęcatę: vt ſemper habeat vnde ſuum petulans caro paſcat amorē. quomodo olim cōſuluit Balaam, non poſſe vinci Iſraëlitas, niſi pri⁹ in ſcelus aliquod dilaberentur: quo iram Dei in ſe prouocarent. Eò igitur peruentum eſt, vt ineſcarētur idolothitis, tandemq́; dementarentur ſcortis Madianitarū. Sic nihil aliud agunt hi impudentiſsimi Epicuri de grege porci prętextu ſui [Interim,] quàm vt conniuentibus prælatis, pars ad eos Chriſtianiſmi ſyncera trahatur. Hæc enim eſt doctrina Balaam, de qua in Apocalypſi cap. 2: Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalū coram filijs Iſraël, edere & fornicari: ita habes & tu tenētes doctrinam Nicolaitarum.
Quam impietatem pluribus etiam depingit Iudas apoſtolus proprijs ac viuis coloribus, ad hunc ſcilicet modum: Subintroierunt quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudi-

cium)impij domini noſtri gratiam tranſferentes in luxuriam,& ſolum dominatorem & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes: Moxq́; ſequitur: Vę illis,qui in viã Caim abierunt,& errore Balaam mercede effuſi ſunt,& in contradictione Core perierunt.Hi ſunt in epulis ſuis,maculæ cõuiuantes, ſine timore,ſemetipſos paſcentes.

Hoc igitur nomine non ſolùm arcendi ſunt ab alueario Chriſti,tanquàm ignauum pecus:immò verò hoſtiliter coërcendi, etiam vſq; ad internecionem. Id quod in mandatis à Deo Moyſes accepit, Numeri vigeſimoquinto: Hoſtes vos ſentiãt Madianitæ, & percutite eos: quia & ipſi hoſtiliter egerunt cõtra vos; & deceperunt inſidijs: eſcarum ſcilicet exemplo & libidinum,per idolum Phegor & Cosbi filiam Madian. Id niſi curent eccleſiæ proceres, ſupprimi videlicet huiuſmodi inceſtuoſæ libidinis exempla,qualia nec audiuntur inter gentes, neq; etiam apud Turcam:futurum eſt(vtinam falſus ſim vates)vt paucorum delicto,in plurimos ira Dei deſæuiat. Ob eam enim cauſam iuſsi ſunt precipui illius ætatis iudices,crucis extremum pati ſupplicium in cõſpectu Solis huius.Sic enim ait iratus dominus: Tolle cunctos principes populi,& ſuſpende eos ante domum

contra Solem in patibulis , vt auertatur furor meus ab Iſraël. Videndum igitur, ne par exẽplũ æqua pœna ſequatur . Neq; enim tantùm puniebatur in peccante libido, verũetiam in permittẽte & conniuente ad huiuſmodi ſpurcitias incuria animaduertendi, & in conniuendo tolerantia. Aſſurgant igitur ad hæc gladio zeli accincti eccleſiæ proceres, nec vltrà patiantur morbum hunc ſerpere in ſuam , ouiumq́; ſibi cõmiſſarum perniciem . Alioqui exiguo quidem fiet miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur, tot mortibus digni , quot per oſcitantiam eorum ac ſomnolentiam ſcelerum exempla ſequentur . Nec ſibi perſuadeant vel ad momentum temporis, tam impijs auſis annuendum eſſe : cùm potius ſit obuiandum, accurrendũq́; tanquàm ad cõmune extinguendum incẽdium. Illius Dauidici memores ſint: Dominus diſsipat oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniã Deus ſpreuit eos. Hactenus excuſſum ſit , quo non peſtilentius vllum , vocabulum [Interim.] Cætera ſurreptitiè poſtulata diſertis articulis diſpungenda veniunt: vt tandem palàm exploratum habeatur, quod peccatori improperatũ ſuprà retulimus, vafrè & ſubdolè aſſumenti teſtamentum Dei per os ſuum: Arguam te, & ſtatuã peccata tua

in faciem tuam.
Hinc ergo ſuæ poſtulationis telam ordiuntur, [legatos ad ſe mitti petẽtes, qui diſpẽſent.] qui rectius dixiſſe debuerant: iura omnia ſacra, ac iuſta, ac prophana diſsipẽt. [Diſpẽſent, inquã, ab omni hęreſi abſoluendo, communioni fidelium reſtituendo, remittendo vel moderando abiurationis formam, & alia requiſita eorum arbitrio.]
Huic poſtulato, quis non videat reſpondendũ eſſe: Neſcitis quid petatis? Abiuratiõis vinculũ diſſoluere, proq́; arbitrio Gordianum illum nexum diſrumpere, non eſt meum dare vobis. Calix prius bibendus eſt publicæ abiurationis: vt in quibus ſuperabundauit delictum, in eis ſuperabundet gratia. Cunctiſq́; appareat, quòd nullum fructũ habueritis in his, in quibus nunc erubeſcitis. Tunc enim apertè conſtabit veſtra reſipiſcentia: ſi ſpontè diſertiſq́; verbis recantaueritis, quæ impiè citraq́; ruborẽ, cœlo terraq́; teſtibus, euomere non erubuiſtis. Recantatio enim voce pronunciata, ac recantantis fulta chirographo, vnica via eſt à patrib⁹ deſignata. Hęc, inquam, vna via eſt: ambulate in ea. Et non declinetis neq; ad dextram, neq; ad ſiniſtram. Extant ſuper hæc innumeri patrum canones, qualis eſt de Nouatianis concilij Laodiceni ſepti-

mus:quo cauetur,neq; eos,neq;Quartodecimanos debere recipi,priuſquàm condemnent omnẽ hæreſim qua detinebantur, pleniſsimeq́; ante omnia ſuum profiteantur errorem. Quis enim priuato cuiuſquam committere auſit arbitrio(niſi aut hebes ,aut temerarius)id quod primùm omnium à patribus citra omnem cũctationem tam impenſè exigitur, vt nihil magis? Vti eſt illud ex actione prima ſeptimæ ſynodi: Hæc quidem ſic,confiteor & approbo:& ex tota anima, corde, & mente demonſtro. Quòd ſi ſiue ex calumnia,ſiue ex inſtinctu volens,nolens vllo tempore ab his deſciuero,alienus ſim à ſancta Trinitate,& à catholica eccleſia. Idem colligitur ex canone.8.Nicenæ ſynodi, ex tertio Epheſinæ, ex epiſtola diui Baſilij ad Amphilochium. Octauus canon de Nouatianis ſic habet:Placuit ſancto concilio,vt ordinentur:ante omnia autem hanc habeant ab eis cõfeſsionem,quam per ſcripturam exigi oportet:vt fateantur ſe cum omni conſenſu eccleſiæ vniuerſæ ſtatuta obſeruaturos. Et in omnibus ſequant̃,quę in eccleſia catholica obſeruantur. Quis iam(qui modò catholicus & eſſe & videri velit)huic torrenti ita ſe opponere audeat,vt pro ſuo arbitrio,neglecta palinodiæ forma,his legibus ſoluere attentet errantem? Primus cer-

tè gradus ad ſanitatem,eſt agnitio morbi.Neq; publicus error obliterari poteſt,niſi publicæ profeſsionis ſpongia deleatur. Tunc enim,& non aliâs,conſtare poterit de vera & nõ ficta pœnitentia.

Vt ergo hæc cauſa finem tandem inueniat:non ſunt iſta relinquẽda vnius aut paucorum arbitrio:quin potius res tota,cauſęq́; cognitio,non aliò referẽda venit,quàm ad amplißimum totius eccleſiæ catholicæ ſenatum, ex omnium catholicarum nationum ſelectis proceribus legitimo cœtu congregatum.

Sequitur in poſtulatis,[Liceat huiuſmodi hęreticis per acceptam diſpenſationem beneficia collata retinere, conferenda etiam recipere,& altaris miniſteria exercere]. Sed quomodo id fiet,niſi longi temporis vſu cognoſcatur, verę eos pœnitentiæ ſigna dediſſe?Non enim iuxta Yuonis Carnotenſis ſententiam,prius recipiendus eſt publicus peccator,quàm odor emendationis ſubſequens euaneſcere faciat priſtinum ſcandali fœtorẽ:vti de hiſtrione & mago Cyprianus docet in cap.Pro dilectione tua conſulendũ.de conſecratione diſtinctione ſecũda. Puto(inquit)nec maieſtati diuinæ,neq; euangelicæ diſciplinæ congruere,vt pudor & honor eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.Hoc

tur. Hoc autem dicebat de eo, qui hiſtrionicā exerceret. Quid ergo dicturum arbitreris de his, qui in ſuo ſtercore ſacrilegi concubitus putreſcere volunt, & ſicut canis reuerſus ad vomitum, & ſus in volutabro luti, toto vitæ tempore conſeneſcere, omni ſepoſito pudore, cupiunt? Audiatur potius Paulus, qui diuerſum ſentiēs ait: Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſi tamen vultis eſſe azymi. Id ſi fiat: nihil ſupereſt, niſi ſera & deſperata pœnitentia: qualis legitur apud eum, qui ait:

Hei quid ego infælix volui mihi? floribus auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.

Apros, inquam, ſingulares feros, qui ſtatim depaſcentur vineam domini. Proinde caueat ſibi quiſq; futurus eſt tãtæ author calamitatis: quã ſi euitare non vult, dum poteſt: effugere certè cùm volet, minimè poterit.

Hæc quiſquis vt audierit, quę iam proponũtur, per conniuentiam fuiſſe recepta, auitæ præſertim chriſtianę diſciplinæ cõtemptor & oſor: palàm ſat ſcio, vociferabitur noſtros non tantùm moribus, immo verò aſſertis iam dogmatibus & eſſe & fore Lutheranos. At quid Lutheranos dixi? immo verius Lutheraniſmi anteſignanos. Tantúq; abfuiſſe, vt de trãſfugis orthodoxos, vt de orthodoxis potiꝰ trãſfugas fecerimꝰ. Iam reliqua poſtulatorum capita ea diſpunctu

ri proſequamur.

Sequit̃ itẽ etiã ex prædictis. [Qui matrimoniũ contraxerint ſiue ſæculares, ſiue regulares fuerint: nonnulli ad admittendas vxores, eò quòd continenter viuere non poſsint, induci non valebunt.]

Verba hæc ipſo penè horrenda ſono, non ſunt æqua mente ferenda pijs auribus. Error eſt ab omni Chriſtianorum theatro exploſus, quòd non ſit dare medium inter nubere & vri. Id quod manifeſtè probatum eſt à nobis in opere, De tuẽdo cœlibatu. Quod Deus ipſe conſulit, blaſphemũ eſt impoſsibile dicere: Omnia, inquit Paulus, poſſum in eo qui me confortat Chriſtus. Ruat igitur neceſſe eſt huic tam abominabili fundamento innixum poſtulatum. Negat diuus Thomas religioſum ſolui poſſe legibus voti ſolẽnis. Idemq́; in tuendo cœlibatu aſſeruimus de voto ſolenni ſacerdotali.

Vtcũq; res habeat, teſtati iam ſumus nõ eouſq; poſſe decolorari ſtatum vniuerſalis eccleſiæ, vt inceſtæ & ſacrilegæ Lutheranis (quod tamen impudenter petunt & in ſuam ipſorum perniciem) permittantur nuptiæ.

Porrò decolorare pergenti ſtatum eccleſiæ, patrum teſtimonio, omnino reſiſtendum eſt. Audiendus eſt Sapiens, qui ait: Ruina eſt homini deuorare ſanctificatũ, & eo penitus abſumpto

vota retractare. Id quod de cane in AEgypto dici ſolet: bibit, & abijt. Sic enim fiet, vt deſertores iſti, prædam per tempus non ſacra ſequuti, ſæpius omni numero impinguati rebus eccleſiæ & pauperũ eleemoſynis, per luxum dilatati, recalcitrẽt: quos reſtituere oportuit receptos nomine religionis prouentus, quos etiam verè dixeris terræ pondus iners, & fruges conſumere natos, qui more canum voracium, tantiſper aſsiſtunt ſacris, dum vident candido linteo ſtratam ornatãq; menſam. Abſit, vt hæc tam ardua vnius aut duorum relinquantur arbitrio. Abſit, vt eccleſiaſtici ordinis nitor tam fœda contagione lædatur. Qando nec Turca ipſe in ſuis ſuperſtitioſis ritibus tam ſacrilegos cõplexus vllatenus admitteret. AEquare ſpurios proli illuſtrium virorum, quis tam barbarus vt æquanimiter ferat? Greci quãtumuis coniugati id non admitterẽt. Alij ſchiſmatici huiuſmodi inceſtuoſa connubia, etiam in ſuo errore ſeuerißimè coërcent. Omne genus bigamiæ ac laſciuiæ prætextu diſpenſationis (quæ verißima eſt diſsipatio) licenter admittere, æquis auribus audire nec infimi de tota plebe vnquàm poterunt. Rumpatur potius ſcortandi cæca libido, quàm bene congeſtos de cœlibatu canones, totq; à patribus aſſumptos noctesq; dieſq; labores auferat vna dies. immo potius reuocan-

dus eſt in legem canon cõcilij Toletani noni, de filijs ordinatorum decimus, qui ſic habet: Cùm multæ ſuper incontinentia ordinis clericorum hactenus emanauerint ſententiæ patrũ, & nullatenus ipſorum reformari quiuerit correctio morum: ideoq́; quilibet ab Epiſcopo vſq; ad ſubdiconum deinceps qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore conſtituti filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probantur, canonica cenſura damnentur. Proles autẽ ex tali pollutione nata, non ſolùm hæreditatem parentum nunquàm accipiet, ſed etiam in ſeruitutem eius eccleſiæ, de cuius ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt. Quem etiam canonem renouãdum cenſuit Speculator in ſuis pro concilio Viennenſi oraculis ac reſponſis. Mira profectò & præter priſcæ diſciplinæ morem omnibus anteà ſæculis inſueta temeritate atq; audacia audent errones iſti, ſuorũq́; ſignorum deſertores eò impudenter aſſurgere, vt ſtatim velint priſtinis reſtitui honoribus atq; oneribus, qui necdum emerſerũt è volutabro luti: ſed illoti lutoq́; inceſtuoſarum libidinum fœdati ac conſperſi priſtinis ſedibus admoueri cõtendunt. Quaſi verò tam citò pulli implumes euolare poſsint è nido, ſicq́; longo vſu contractæ ſordes dilui poſsint, & priſtinum reſumere

decorem:cùm tamen dicat Propheta:Si poteſt AEthiops mutare pellem, & pardus varietates:ita & vos poteritis bona facere,cùm didiceritis mala à iuuẽtute veſtra. Vulpes(vt eſt in prouerbio)pilos mutat,non mores. Sæpenumerò etiam mentitur ſęuum pellis ouina lupum. Tempore igitur opus eſt,quo certò diſcerni poſsit,an facta verbis reſpondeant, an ſecus. Quinquẽnali illis opus eſt,quo probari poſſint,ſilẽtio,interim anachoreſim obſeruẽt. Homines enim vident,quæ foris patent:Deus autẽ eſt q intuet̃ cor,ſoluſq́; tuet̃ quę ſint,quę fuerit, quę mox ventura trahent̃. Cũ enim peruerſum ſit cor hominis,quis ſcrutabitur illud? Vox plerumq; vox Iacob eſt, manus autẽ manus ſunt Eſau.Longa die opus eſt,quæ tandem occulta reuelat.Interim alendi erunt arte aliqua prouẽtuũ,reiecto regiminis onere ac titulo in orthodoxos prælatorum,opera diligentiſsima vndecũq; quęſitos & probatos. Nec timendum eſt ab huiuſmodi miniſtrorum penuria, quibus abundat area domini,niſi quòd latent ſicut grana in palea. Accedat tantùm præſulum ventilabrum:& purgetur area domini. Succedat alioqui ſecuris ad radicem arboris. Turpe enim eſt (vt Gregorius ait)illum fieri magiſtrum,qui necdum ſe nouit eſſe diſcipulum. Immo plus eſt negocij in dediſcendo,quę ſiniſtrè prius im-

butus malè didiceris, quàm in aſſequendo, quæ anteà neſcieras. Notũ eſt exẽplũ citharœdi, qui ab ignorãte ſimplũ, à malè aũt imbuto ac pręposterè inſtituto, duplũ præmiũ exigebat. Quiſq; onus ſuũ feret. Illi verò ad tẽpus maturè deſignãdũ ſuas clitellas. Lauamini (inquit ꝓpheta) & mũdi eſtote, q̃ fertis vaſa dñi. Succinẽte ita Gregorio de pœnit. diſt. 3. Lauant, nec mũdi ſunt, q̃ commiſſa flere non deſinunt, ſed rurſus flenda committunt. Qui & alio loco ait: Munda ſit manus oportet, quæ alterius ſordes lauare debet: ne tacta quæq; deterius inquinet manus, quæ lutum tenet. Ferro certè manente in vulnere, non eſt malagma apponere. Reſumant ergo excuculati cuculam, longo vſu doceant ſe eſſe pœnitentes. Abdicent à ſe ſua ſcorta inceſtuoſa luxu perditi ſacerdotes, iuxta verbum Chriſti: Si oculus tuus ſcãdalizat te, erue eum, & proijce abs te, nulla inquam ſpe reuerſionis reliqua. Alioquin quænam in eis ſpes ſupereſſe poterit veræ pœnitentiæ? Irriſor enim eſt & non pœnitens, qui iterum agit quod pœnitet. Nec videtur Deum placare ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Quid autem iuſtius ęquiùſue eſt, quàm quod per ſcelus admiſit Saulus, patiatur Paulus: quodq; ſuſtulit lupus, reſarciat agnus? Sed & fruſtra expectatur vllus diſpenſationis locus in his, in quibus decoloratur vni-

uerſus eccleſiæ ſtatus. Neq; enim eouſq; progre-
di poteſt ampliſsima alioqui ſummi Pōtificis
authoritas. Sequitur item: [Habeāt facultatē
diſpenſandi circa communionem ſub vtraq;
ſpecie.] Hîc magna opꝰ eſſe ſolertia apud Bohe
mos, minimè expectatus docuit euentus. Sem-
per decipimur ſpecie recti. Genus iſtud homi-
num dulcia quidem verba iactat, ſed iactat in
hamo: & piſcatorem piſcis amare poteſt? Hîc
hîc, ô viri cordati, occipiti cæco & poſtice oc-
currite ſannæ, ſi vllas vnquàm diſcordias pāre-
re ſoleāt nouitates. Hæc certè in mediā Germa
niam inuecta nouitas etiam ad exteros ſeditio
nis incredibile prorogabit incendium.

Quantam ſtragem Bohemis aduexerit huiuſ-
modi facultas, Pius ſecūdus in geſtis Bohemo-
rum teſtis erit locupletiſsimus. Multa in ſpeciē
præclara videntur, ſed exitus acta probat. Qua
de re ſuprà diſſeruimus abundè. Ex quibus cō-
ſtat, quòd quæ humana coniectura profutura
credidit, ſequens experientia nocuiſſe monſtra
uit. Nam, vt cætera taceam, minimè ædificādū
eſſe reor ſuper ſchiſmatica eorū opinione, qui
non ſolùm licitam, immo verò neceſſariam pa
làm profitentur ſub vtraq; ſpecie communio-
nem: Qua in re abnegatione opus eſt, ſcripta
etiam ac chirographo munita abiuratione, ad-
hibitis etiam præſentibus pœnis, vbi primùm

quis contrariū ſententiæ ſubſignatæ, aut clàm vel ſigno deſignare, aut palàm viciniæ auribus inculcare audeat. Qua in re apud Bohemos accedente paſtorum oſcitantia, vehementer peccatum eſt. Nam neglecta ſolent incendia ſumere vires. Neq; eſt ſapientis dicere, non putaram. Quid enim iuuat amiſſo claudere limē equo? Iam ad id quod ſupereſt:

[Item poſsint ipſi D. Legati circa delectum ciborū diſpenſare.] Quid audio? Quomodo pœnitentes iſti imponenda ſibi ieiunia moderatè ferent, ſi vel communem quidem abſtinentiæ ritum, quem viri innocentiſsimi hactenus obſeruarunt, obuijsq;(quod dicitur) vlnis exceperunt, patienter ferre recuſent? Qui in minimo infidelis eſt, moroſuſúe aut difficilis, in maiori quomodo fidelis erit? Quinquēnalē ſuis ſceleribus debitam, aut certe decennalem pœnitentiam qua fronte excipient, ſi ab omnibus receptam catholicis ciborum abſtinentiam ferre detrectāt? Hîc ſe ſuo ſorex prodit indicio. Niniuitæ ſua ſcelera ciborum abſtinentia redemerunt. Achab cilicio & cinere diuini numinis iram ſedare ſtuduit. Diua Magdalena quot exhibuerat in ſuo corpore oblectamēta, tot præſtitit exemplaris pœnitentiæ holocauſta. Et hi qui cateruatim innumeros homines ad inferos traxerunt, dedignantur commnnis abſtinentiæ

leges vel extremis digitis attingere. Si volunt videri pœnitentes, alios quęrant: nam vicinia tota reclamabit. Ad populũ igitur phaleras. Ipſi ſe intus & in cute produnt. Quàm lõgè abſunt ab eo, vt irati domini furorẽ mitigent, qui ait: Qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt: expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Mitiganda eſt igitur ira Dei more Niniuitarum, frequẽtibus etiam ſupra morem conſuetum abſtinentijs, non irritanda delitijs. Seruãduſq;, abſtinẽtiæ cauſa, non Iudaicus ob ciborum immundiciam, verùm Chriſtianus ad carnis domandam petulantiam ciborum delectus. Sed cautione indigent quæ ſequũtur. Neq; enim aliâs plenè dirimi poſſunt tam indigeſtè confuſa, niſi totius orbis catholici ampliſſimo ſenatu. Sic enim habet poſtulatum:

[Item habeãt facultatem diuidẽdi, diſmembrãdi beneficia applicãda hoſpitalib⁹, ſcholis, pręldicatoribus, & alijs pijs locis.]

Ad hæc interim viua patet reſponſio: Partibus auditis, reſtitutione facta apud ſpoliatos, inſtitutis miniſtris non niſi catholicis, de virorum catholicorum conſilio & conſenſu, æquum eſſe Legatos prouidere pro temporum & perſonarum qualitate, relatis occurrentibus dubijs, quæ more locuſtarum cateruatim ſe offerent

ad mox in vnum congregandum in tuto ac libero loco eccleſiæ catholicę ſenatū. His affine eſt quod ſequitur: [Item circa reſtitutionem bonorum, differatur reſtitutio in toto, vel in parte.] In rebus mobilib⁹ certiſsimum eſt inanem eſſe actionem, quam excludit inopia debitoris: opus eſt tamen cautione de reſtituendo, ſuccedente pinguiore fortuna, aut certè operarum ſupplemento: quibus exhibendis iudex, partibus auditis, & metas & tempora ponat. De immobilibus verò nihil obſtat, quò minus fundi ad ſuos dominos quantocyus redeant: cōpenſatis, vbi opus fuerit, neceſſarijs vtilibuſq́; impenſis ad vtilitatem eccleſiæ factis. Primùm autem & ante omnia reſtitui debet ſpoliatus. De ſubdelegandis conſtat minus licere his, qui vicario nomine committentur, quàm reuerendiſsimis, quibus eſt commiſſa plena poteſtas. [Itē quòd omnia tractent interueniente Cæſarea maieſtate, & de eius cōſenſu cui⁹ zelus &c.] Vt zelo adſit diſcretio, neceſſe eſt ſuum cuiq; onus partiri, ſæcularia inquam ſæcularibus, & regularia regularibus. Seruetur iuris diſpoſitio cuiuis, etiā è triuio, cognita ex capitulis, Si morte Lōgobardorum: Gregorio authore: &, Conuenior: ex ſententia Ambroſij .23.q.8. vbi inter cętera dicitur: Allegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpōdeo, noli graua

re te imperator, vt putes te in ea q̃ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubiectus. Scriptũ eſt: Quę dei Deo, quę cęſaris Cęſari. ad imperatores palatia pertinent, ad ſacerdotes eccleſię. Publicorũ tibi mœnium ius cõmiſſum eſt, non ſacrorum. Neq; opus eſt multis, cùm extent in eam rem innumeri penè canones ex Symmacho & Nicolao primo, alijq́; aliorum complures: his præſertim canonibus, Bene quidem. & Cùm ad verum. 96. diſt.

Nouiſsimum autem omnium poſtulatum tantum abeſt vt probari poſsit, vt etiam neq; audiri debeat. Quis enim tollere poſsit ius quæſitũ tertio inuito particulari domino, niſi qui à furto abſoluere poſsit? Proinde nullatenus petẽda eſt derogatio tollendi iuris alieni, quæ citra iniuriam furtiq́; notam, niſi de domini conſenſu, auferri non poteſt, ſed neq; ad momentum detineri. At omnia ſunt principis, dicet quiſpiam locutuleius. verùm quo ad directionem, minimè autem per proprietatem. Alioqui nec princeps furtum, nec pontifex ſacrilegium committere poſſet ĩ re quiſq; ſua. Quod dicere, eſt omni execratione digniſsimum. Sed eſto, quòd pro publica vtilitate rem poſsit transferre priuati, id certè fieri nequit, niſi interueniente æqua iuſtaq́; ac legitima recompenſatione, quæ locum

nõ inueniret,ſi huius iniqui poſtulati verba ſequamur. Hæc vt dicerem,me adegit euangelicus ille propheta,qui ait:Propter Sion non tacebo,propter Hieruſalem non quieſcam:donec oriatur vt ſplendor iuſtus , iuſtitiáue eius: & lux eius ſicut lampas accẽdatur.Cæteris ſufficit non cõſentire rebus illicitis:nobis autẽ neceſsitas incumbit obuiandi quæcũq; ſe offerẽt in fide & moribus, imminentibus ſcandalis & incommodis:ne de nobis dicatur:Mercenarius & cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & fugit: quia non eſt illi cura de ouibus.

Id igitur(dicat fortaſſe quiſpiam)tám ne cẽſebitur cauſa iſta deſperata, vt careat patrocinio ?Carebitné morbus iſte remedio? Nequaquàm.Non eñ deerit medicus, mõ ne medicinam abhorreat ægrotus. Quòd autem vnum timeo,iſtud eſt,ne verè de nobis dicatur:Deridet medicas iſta podagra manus. Aut certè in nos iactetur illud Pſalmiſtæ:Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquauerunt ad portas mortis:alioqui non deerit ſanando vulneri malagma præſentiſsimum. Quod quale ſit(præfatus prius à quouis melius ſentiẽte veniam)paucis expediam. Vna hæc(niſi me omnino iudicium fallit)ſacra anchora reſtat: vbi patribus ex bono & ęquo ſi delectus locus

minus placebit,non tam ſummo iure quàm ex ſuperabundanti fraternæ gratiæ fauore ad alliciendos confractos quorũdam animos:ne vlla cuiuis retrò abeũdi, aut vanè ſe excuſandi detur occaſio. Proponatur ab his, qui & poſſunt & debent, locus aliquis capax, tutus, liber, ac ſecurus, interueniente principum conſenſu. Ad eum locum peremptoriè vocentur omnes catholicarum nationum rectores, per ſe vel idoneos procuratores cõparituri. Quibus in vnũ collectis, illius ſacri ſenatus obedientiæ colla ſubmittãt, qui hactenus fuere rebelles. Certiſſimè confido (aſpirante in eam rem, humillimè implorato, diuino fauore ac numine: qui volun tatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet illos) breui futurum, vt non æquo tantùm, immo verò & gaudẽti hilariq́; animo eccleſiaſticæ obediẽtiæ ſe lætentur eſſe conuerſos, quos hoſtis generis humani hactenus ſeduxit auerſos.

Quòd ſi qui priuatis quibuſdam aut conciliabulis, aut prophanis comitijs, tam profuſæ (vt ne aliud dicam) reperiantur audaciæ (quod vix credibile foret inter vnius legis ac gregis obedientiæ eccleſiaſticæ profeſſores Chriſtianos) ego pro eccleſiæ Chriſti ſponſę authoritate, diſciplinaq́; tuenda, communi piorum omnium ſpiritualiumq́; virorũ nomine, quorũ

intereſt, de his cenſere, & ineluctabilem ferre ſententiam, quæ totum gregem Chriſtianum ſuis legibus coërcere poſsit. Omnium deniq; huic tā ſancto, pio, iuſto, religioſo, & honeſto inſtituto adhærere volentium, (volent autem omnes non dubito, bene ad Remp. Chriſtianā affecti) horum, inquam, nomine puſillus ego ac modicus, imò verius omnium, qui Chriſtiana profeſsione cenſentur minimus, eiuſq́; ordinis peccatorū maximus: pro ea fide, qua meipſum ex incumbenti officio ac miniſterio agnoſco obnoxium, etiam vſq; ad fundēdum ſanguinē, atq; extremum vitæ ſubeundum periculum: cœlum ac terram teſtes prouoco, & appello: Deumq́; optimum maximum, cœli terræq́; parentem, authorem ac rectorem, iudicem & vindicem, aduerſus eos omnes & ſingulos, qui tam execrandæ nec vnquàm ſatis deplorandæ calamitatis authores, applauſoréſve fuerit. Idq́; omnibus teſtatum velim præſentis chartæ teſtimonio, nunquàm me authore vel ad latum quidem vnguem, rei tam mali pernicioſiq́; exēpli conſentire, aut velle, aut poſſe: quòd ſcilicet in voluptuariorum quorūdam gratiam, vel ex minimo nutu conniuentia ve, totius diſciplinæ eccleſiaſticæ moles operoſa laboret. Qui contrà ſentient (ſi qui fortè tam inauſpicati inueniantur) in concilium eorū nō introibit anima

mea. Qui ſi vltrà furere & ineptire perrexerint: maledictus ſit furor eorum, quia pertinax: & indignatio, quia dura. Et hęc coram Deo dicta ſint: cuius honor, maieſtas, & gloria nullo vnquàm claudi poteſt ſæculorum volumine.

Conatus eſt, vt ſuo nomini reſponderet, culpæ defenſor, aterrimus Melanchthō, ab huiuſmodi contubernijs apoſtatarum cum virginibus, notam ſacrilegi inceſtus quāta maxima cura potuit, depellere: idq́; potiſsimùm in gratiam Buceri ſui, indiuidui in hac tota cauſa comitis ac congerronis impudentiſsimi, vt quem ſciret cum ſcortatrice ſua Elizabeta attentaſſe coniugium, pium vt ille videri vult, re autem ipſa ſacrilegum, apud verè pios inceſtuoſum & impium. Quoties enim auditur hoc verbum, Elizabeta Buceri: confeſtim adiungendum, impia impij, ſacrilega ſacrilegi, inceſta inceſti, fœdifraga fœdifragi, refuga refugę, ſcortumq́; ſcortatoris ſordidiſsimum. Non vxor vera mariti, quin potius impuri fœda lyciſca lupi. Impium enim eſt, Deo ſemel pręſtitam (quod nec fas, nec iura ſinunt) violaſſe fidem. Sacrilegum verò, rem Deo ſacram prophanaſſe: adeò vt huiuſmodi corruptionem nihil dubitet Ambroſius appellare, adulterum contubernium, ſatanæ tugurium, lutum platearum, atq; in tenebris perpetratum ſtellionatum: cui vix poſsit digna

mors & pœna cogitari. Nam de capitali quis dubitet? cùm lege cautũ ſit, de epiſcopis & clericis Codice: Si quis, non dicam rapere, ſed attẽtare tantùm iungendi cauſa matrimonij ſacratiſsimas virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur. Idẽ ſentit Iuſtinianus in lege, Raptores. eo ipſo titulo. Quod etiam edictum cõfirmat ipſe in Authẽticis in hæc verba: Si quis rapuerit. De inceſtu verò, nemo dubitauerit, qui modò canonum decreta vel ab ipſo limine ſalutarit. Quale eſt illud Triburienſe recenſitum. 27. qõne. j. cap. Virginibus. Virginibus (inquit) ſacris ſe quoſdam temerè ſociare cognouimus poſt dicatum Deo propoſitũ, inceſta fœdera, ſacrilegaq́; miſcere: quos protinus æquum eſt ab ea coniunctione detrudi. Hos inſuper illicitos complexus monachorum & monacharũ, impudicos & deteſtabiles, illicitoſq́; ac ſacrilegos, canon appellare nõ dubitat. Qua in re Gelaſio Papæ ſuccinit Aurelianenſe concilium his verbis: Si quis ſacro velamine conſecratam coniugio copularit, & poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera ſacrilegaq́; miſcuerit: æquum eſt eos à ſacra communione detrudi. Nec differt Auguſtinus huiuſmodi cõplexus appellare adulterijs deteriores. Sed quid in re tã aperta immorari opus eſt? cùm nec Grãmatici ipſi ignorẽt inceſtus crimen cõmitti, vti cũ cõſanguineis,

ſanguineis, ita & cum Deo dicatis virginibus?
Libet itaq; huc inſerere, quod religioſiſsimè (vt
cætera ſolet) in eam rem pronunciat indefeſ-
ſus Chriſti & eccleſiæ ſponſæ miles ac propu-
gnator Cochlæus. Viderit (inquit ille) maieſtas
tua Imperator potẽtiſſime, quid Deo exteriſq́;
nationibus Chriſtiani nominis, atq; etiam po-
ſteritati reſpondeas: ſi huiuſmodi apoſtatarum
flagitia, impietateſq́; & manifeſta crimina, &
blaſphemias in tuo imperio diutius graſſari, &
omnem vitæ ſtatum fœdare, fideiq́; catholicę
rectitudinem & ſynceritatẽ deturpare amplius
permiſeris. Cùm tibi præcipuè (qui ſupremam
à Deo poteſtatem imperio tenes) dicat domi-
nus: Maleficos ne patiaris viuere. Nulli autem
ſunt ſceleratiores, quàm huiuſmodi ſunt apo-
ſtatæ: qui non ſolùm Remp. ſeditioſis ſcriptis &
concionibus grauiùs, quàm ambo fecerũt Grac
chi, perturbant: & aduerſus eccleſiam Dei ſchiſ
mata excitant, & populum fidelem hæreſibus
inficiũt, atq; criminoſa vita ſua ſcandalizant, &
prauis moribus imbuunt. Verumetiam iuuen-
tutem peſſimè corrumpunt per libertatem car-
nis, quam falsò euangelicam vocant: & ab anti
qua obedientia & pietatis diſciplina in omnem
morum prauitatem, & honeſtioris vitæ diſſo-
lutionem abducunt. Verumetiam innumeras
(proh dolor) animas per ſchiſma, rebellionẽq́;

& hæreſim ſuam, æterno obnoxias reddũt ſupplicio. Et ſicut ipſi proprio (vt ait Paulus) iudicio ſunt damnati: ita quàmplurimos alios in eandem damnationem ſecum & poſt ſe trahũt. Time igitur & tu (precor) imperator Auguſte, vt religioſus es princeps, diuinę legis præceptũ, vt exequaris illud: Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Item illud Apoſtoli: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et, Vtinã abſcindantur, qui vos conturbant. Item illud Auguſtini: Quomodo reges ſeruiunt domino in timore, niſi ea quæ contra iuſſa domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atq; plectendo? Time etiã hui⁹ Melãchthonis verbũ, quod velut alter Caiphas dicit: non ex ſeſe, ſed ex ſpirituſancto (à quo oĩs veritas, velutà fonte, manat) quòd inceſta conſuetudo non minus legibus punienda ſit, quàm parricidium. Time deniq; antiquum canonẽ Innocẽtij papę, huius nominis primi: qui in Decretis habetur in hæc verba: Error cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas cùm minime defenſatur, opprimitur. Negligere quippe, cùm poſsis, perturbare peruerſos, nihil aliud eſt quàm fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Caue (obſecro) ne De⁹ tot animas, quas illi perdunt, de manu tua requirat: ſi poteſtate tua non

probibueris,aut coërcueris eos,ne tot homines vlteriꝰ ſeducāt. Hęc ille. Hæc cùm ita ſe habeant, vix mihi ꝑſuadere poſſim huiuſmodi poſtulata æquis auribus excipi poſſe ab his, quos religionis cura ac ſolicitudo, vel minutiſsima quidẽ, tangit & angit. Proinde alios ſibi quęrant patronos,quos verius procos dixerim, lenociniorumq́; fautores:quàm Reipubli. Chriſtianæ primarios ex profeſſo fautores ac defenſores, potiſſimumq́; pijſsimum ſimul ac Chriſti aniſsimũ Chriſtianiſsimę Galliarum Reipub.monarchã: qui in inſectandis,quæ paſſim toto orbe vagãtur,ſacrilegis impietatibus tam impensè rectũ clauum tenet,vt eum dicas in hoc nobis à Deo conceſſum & donatum,vt ſua authoritate excreſcentes huiuſmodi ac repullulantes errores grauibus adhibitis ſupplicijs prorſus eliminentur:legibus in eam rem conditis,adhibitiſq́;nomophylacibus,qui dicto citius, methodo iuris obſeruata:de noxijs ſupplicium ſumant,vt pœna vnius ſit metus multorum.

Dicturus forſan eſt aliquis,mutari poſſe ſentẽtiam. Nequaquam. Neq; enim ipſe(vt eſt rei ſemel inſtitutæ,ſuiq́; & paterni propoſiti tenaciſſimus) à via diuertere poterit: quam conceptis per ſuos Legatos in publicis comitijs verbis ſibi præſcripſit & orbi. Hæc ad verbum profeſſus eſt in Spirenſi illo receſſu, conſeſſuq́; omnium

Legatorum frequẽtiſsimo. Cæterùm, quod ad negocium cum his, quos Proteſtantes vocant, attinet: Regi Chriſtianiſsimo nullo pacto conſultum videtur, vt in controuerſiam per Germanos trahi debeat. Id quod multis iam antè actis ſęculis veterum probatiſsima dogmata, ſequentibus ſignis & miraculis, in hunc vſq; diẽ nobis tradiderunt: cùm veteres, doctrina, probitate, ac authoritate, longè nos anteceſſerint.

Tandemq́; clariſſimi viri Lazari Baiphij oratio his verbis clauditur: Religionẽ itaq; per manus ſibi à patribus traditam conſeruandam, & veſtrum omnium emolumentum ac decorem promouendum, debens ac lubens pollicetur. Extat inſuper typis excuſa paternorũ Legatorum oratio, in publico Tridentinorum patrum ſenatu regio declamata nomine, in qua ſic habetur ad verbum, idq́; Daneſij oratoris eloquentiſſimi induſtria & organo. De doctrinis (inquit) patres, ea ſemel conſtituatis, publicèq́; proponatis; quæ omnes Chriſti fidem profeſſi vbiq; ſequantur, teneant, credant. Nec enim fieri poteſt, vt aut alia ex re vlla maior exiſtat animorum diſiunctio, reiq́; publicæ perturbatio: quàm ex ſententiarum, quæ de religione habeantur, diſsidio: aut nõ libentiſsimè omnes aſſentiantur ijs, quæ nos, authore eo, qui huic loco præſidet, ſanctiſsimo Dei ſpiritu, comprobaueritis. Deinde

cùm omnia ferè eccleſiæ mala & incommoda ex eo fonte profluxiſſe multis videantur, quòd omnium penè ordinum miniſtri eccleſiæ ab illa priſcorum temporum ſanctitate & innocentia plurimũ deflexerint, vix vt tenue eius veſtigium iam appareat: etiam vos rogat, & obteſtatur, vt vitæ morumq; in eccleſiaſticis perſonis diſciplinam acerrima ſacrorum canonum norma dirigatis. A quo ſanè inſtituto lõgè abeſſet, quiſquis ſacerdotio cœlibatum adimeret. Hæc cùm ita ſe habeãt, citiùs ab eclyptica Solem diuertere feceris, quàm propoſiti æqui & iuſti tenaciſsimũ principem à paterno inſtituto, vel ad latum quidem vnguem, dimouere poſsis: in re præſertim tam ſancta & ſeria, omnibuſq; ſui regni ordinibus communi immobiliq; probata conſenſu.

Meminerint itaq;, qui primas in eccleſiæ monarchia tenent, nihil tuti ſupereſſe in tota eccleſiaſtica diſciplina, ſi in gratiam hæreticorũ aliquid detrahitur, quo eccleſiæ nitor ſplendórve in poſterũ obſcuretur. Hoc agnouit ipſe Paul⁹, qui ait: Si quæ ædificaui, iterum deſtruo: præuaricatorem me conſtituo. His veſtigijs mordicus hęrens Gregorius, ita pronunciat: Si ea deſtruerẽ, quæ anteceſſores mei ſtatuerunt: non conſtructor, ſed euerſor eſſe iuſtè probarer. Abſit hoc à me, vt ſtatutum maiorum cum ſacerdotibus

meis infringam: quia mihi iniuriam facio, ſi fratrum meorum iura perturbo. Quin & vt idem author eſt, dum aliqua vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe nō illa deſtruit quiſquis preſumpſerit abſoluere quos ligant, & ligare quos abſoluunt. Audiant hæc, niſi qui prorſus mente carent, Interimēſes, nec ad iſta obſurdeſcāt. Quin potius ſibi caueant diligentiſsimè, qui Chriſtiani nauigij proram & puppim occupātes, rectū ſemper clauū ex officio incumbenti tenere debent: ne illis imputetur eorum ceruicib⁹ imminens ſubita, eademq́; impræmeditata, ruina. Hæc vna Gregorij ſententia ſufficere debet ad incutiendum poſtulatoribus improbis perpetuum pudorem. Hac inelu ctabili machina obturabit pontifex ora loquentium iniqua. Nam quæ (vt Auguſtinus ait) eſt iſta pietas, quæ eſt iſta miſericordia, vni vel obtemperare, vel parcere, & cæteros in diſcrimen adducere? Huc accurrunt omnium penè catholicorum pontificum ſacroſancta pronunciata. Quale eſt illud Leonis papæ: Quæ ad perpetuam generaliter ordinata ſunt vtilitatem, nulla commutatione varientur: nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum commune ſunt præfixa. Et rurſum: Ideo permittente domino, paſtores hominum ſumus effecti: vt quod patres noſtri ſiue in ſanctis canonibus, ſiue in mundanis affi-

xere legibus,excedere minimè debeamus.Con-
tra eorum quippe ſaluberrima agimus inſtitu-
ta,ſi quod ipſi diuino ſtatuerunt conſulto,in-
tactum non conſeruamus.

Nihil diſsimile eſt,quod Vrbanus, Zoſimus,
Gelaſiusq; pontifices in literas retulerunt. Sunt
quidam(Vrbanus ait)dicentes, Romano ponti-
fici ſemper licuiſſe nouas cõdere leges. quod &
nos non ſolùm non negamus,ſed etiam valde
affirmamus.Sciendũ verò ſummopere eſt,quia
inde nouas leges condere poteſt,vnde euangeli
ſtæ aliquid & prophetæ nequaquam dixerunt.
Vbi verò apertè dominus,vel eius apoſtoli, &
eos ſequentes ſancti patres ſentẽtialiter aliquid
diffinierunt:ibi non nouam legem Romanus
põtifex dare,ſed potius,quod prædicatum eſt,
vſq; ad animam & ſanguinem confirmare de-
bet.Si enim quod docuerunt Apoſtoli & pro-
phetę deſtruere(quod abſit)niteretur: non ſen-
tentiã dare,ſed magis errare cõuinceretur. Sed
hoc procul ſit ab eis,qui ſemper domini eccle-
ſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodie
runt.25.q.j. Zoſimus verò,ita cenſuit: Contra
ſtatuta patrum condere aliquid,vel mutare:nec
huiꝰ quidem ſedis poteſt authoritas. Apud nos
enim inconuulſis radicibus viuat antiquitas,
cui decreta patrum ſanxere reuerẽtiam. Nec ab
his abhorrens Gelaſius ſic ait ex profeſſo:Con-

gubernatione populorum, fiat ruina multorũ: vt Nicolaus admonet, ſcribẽs Lothario regi. Et in cap. Si dominus. Si malum petitur: reſpõde: Oportet Deo magis obedire, quàm hominib⁹. Aliâs (vt Chryſoſtom⁹ ait) ſi ille qui non liberè veritatem pronunciat, aut defendit, quam liberè pronunciare defenderéve conuenit: proditor eſt veritatis. in cap. Noli timere. Bonũ quidem nonnunquam poteſt intermitti, malum verò nulla poteſt ratione permitti: author Gregorius in cap. Quid ergo. Et vt ad caſum veniamus in terminis, audiatur Bonifaci⁹ martyr ad Zachariam de Germanicis gentibus loquens: Sacerdotes (inquit) hypocritas & ſeductores populorum ſtudui corrigere ad viam ſalutis, & à cõmunione ipſorũ ſpiritualiter declinare: quia in conſenſum & in conſilium eorum non venit anima mea. Dum enim veniſſem ad principem Francorũ, cogente eccleſiarum neceſsitate, non tales reperi, quales volui: ſed tamen in ſancta communione corporis Chriſti illis nõ communicaui. Qua ergo fronte, quáve impudentia, nullo ſigno pœnitentiæ dato, carnis mancipia, miniſtriq; ſatanæ, ſubitam ad ſacra tractanda reſtitutionem, æquamq; cum cæte ricis catholicis conditionem improbè exigere audẽt? Quod quidem hoc ipſum diſertiſsimis verbis vetatur per Zachariam Papã cap. Quod

prædeceſſor.11.quęſtio .3. Nec tamen his contenta pijſsimis decretis , criſtas erigit laruata hæreticorum impoſtura : quæ non niſi ſpontè cæcutientibus & errore iam ineſcatis, imponit tanti habenda eſſe commoda pacis , vt huius obtinendæ gratia nihil non permitti debeat . Quaſi verò ſit pax impijs cum perpetuo detrimento pietatis ac religionis . At quæ, obſecro ,conuentio Chriſti ad Belial, lucis ad tenebras ? Quę portio fidelis cum infideli ? Inceſtúſne, rapinas , crapuloſa con uiuia , in medio populi Chriſtiani theatro paſsim conſpici ac licenter cum laude etiam obſeruari , incolumi Chriſtiana pace ſinemus ? Quis reſtitit Deo , & pacem habuit? Nunquid colligunt de bello pacem , de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus ? de ſcelere laudem ,aut de luce tenebras ? Vnaquæq; arbor, Chriſti domini ineluctabili teſtimonio , à ſuo fructu cognoſcitur. An non ſufficere debuerat deliraſſe hactenus, totoq́; aberraſſe cœlo: niſi etiam cumulãdo peccata peccatis,& leuioribus grauiora adiungendo , publico conſenſu probari velint, quæ priſca & publica lege damnantur:ita vt in magno(quod Sapiens ait)viuentes inſcitię ac petulantiæ bello , tot & tam magna mala pacem appellant ? Ioram filius Iezabel 4.Reg.9.cũ ſuper pace Iéhu interrogaret:digna

tandē factis recipiens,reſpōdentē vel inuitus,au dijt: Quę pax?adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ & veneficia eius vigent. Iezabel quoq; ipſa,dum ſuper pace interrogaret, præcipitata deorſum,vix vllas poſt mortem caſumq; de alto atrociſsimum,ſui corporis dimiſit reliquías. Quis igitur in tenebris lucem,in cōtemptu religionis pacem requirat: in vitiorū ſtrepitu ac redundante bello,Chriſtianæ pacis tranquillitatē ſperare aut poſsit,aut debeat:diuerſum pronūciante dn̄o,qui ait:Non veni pacē mittere in terrā,ſed gladiū?Contrà verò,non ſinere peccātes ex ſentētia agere,ſed ſtatim punitionem adhibere :magni beneficij ac futuræ etiam trāquillitatis indicium eſt.

Non eſt recens nata rancidula hæc(vtinam nō etiā peſtifera) impoſtura de [Interim]Nonus enim iam agitur annus,ex quo apud Franckfordiam(referēte Cochlæo) obrepere cœpit: & ita obrepere,vt mox ſuæ fraudis peſtilētiſsimæ indicia certiſsima pijs omnibus de ſe exhibuerit. Id enim vſu venire ſolet,quòd larua neq; diu, neq; multis imponat.Neq; enim ita ſe tegere poteſt, vt non aliqua ex parte reueletur: vt cùm ſæuum mentitur pellis ouina lupum. Verùm quid facias? Ita natura comparatum eſt, aut (vt verius dicam) naturæ abuſu, quòd Neglectis vrenda filix innaſcitur agris. Et

uimus, huc etiam affigere: vt ſuis deſtituta alium de mendicatis pennis, cunctis moueat infauſta cornicula riſum. Sic habet inter cætera ille impoſtor Franckfordienſis epiſtolæ: [Ad hæc petunt, vt liceat interea temporis, dum religionis controuerſia componatur, tractare bona eccleſiaſtica.] Alio itē loco: [Cauſarum matrimonialium iudicium ad eos perueniat, ne trahantur ad Epiſcoporū fora.] Hæc anonymus impoſtor. Ad quę omnia minutatim Cochlęus ita reſpōdet, vt nihil ſuperſit, quod ad fraudem iſtam retegendam quiſpiam deſideret, qui vel micā ſalis habeat, vel iudicij ſcintilla potiatur.

Sunt & alia, quæ præeunt & ſequuntur, non pauca in hoc ſeditioſarum poſtulationum prōptuario cumulatim repoſita: quæ nulla ratione admitti poſſe principū Chriſtianorū placita, in publicis comitijs manifeſta Legatorum declamatione teſtata, haud obſcurè comprobant. Extat enim Legati Cęſarei in Tridentino concilio omnibus teſtata profeſsio, aſſeuerātis Cæſaream maieſtatem omnes rationes, cōſilia, ſtudia, conatus & vires in hoc conieciſſe: vt quæcūque ſæculi malignitate, morum corruptela, vitæ licentia fœdata ſunt, in priſtinum cādorem reſtitui poſsint, vt omnes errorum caligines tāquàm vmbræ tandem euaneſcant. Hæc ille nomine Cæſareæ maieſtatis legatus Franciſcus à

crificare volebant in illis, quàm ea tanquàm per hoc inquinata lauiſſent. Baptizatos etiam à Latinis, & ipſi Græci rebaptizare auſu temerario præſumebant: & adhuc (ſicut accepimus) quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab eccleſia Dei ſcandalum amouere, ſacro ſuadente concilio, diſtrictè præcipimus, vt talia decæterò non præſumant, conformantes ſe tanquàm obedientiæ filij ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matri ſuæ, vt ſit vnum ouile & vnus paſtor. Si quis autem aliquid tale præſumpſerit, excommunicationis mucrone percuſſus, ab omni officio & beneficio eccleſiaſtico deponatur.

Hæc ad præteritos lapſus cautio, nobis eſſe debet exemplar futurorum. Paulus quidem apoſtolus fratrum infirmitati ſe lubens demittebat: nunquàm tamen induci potuit, vt falſos fratres vel ad horam ſuſtineret, qui in Galatis capite. 2. ait: Propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, vt nos in ſeruitutem redigerent: quibus neq; ad horam ceſsimus ſubiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.

Iam verò à parte noſtra ſtare euangelium nemo niſi impius, dubitauerit: ita dicente Hieronymo in cap. Marchion. 1. quæſt. 1. Marchion (inquit) &

Baſilides,& cęterę hęreticorum peſtes,non habent Dei euangelium :quia non habent ſpiritũ ſanctũ,ſine quo humanum euangelium nõ docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe euangelium,ſed in ſenſu: non in ſuperficie,ſed in medulla:non in ſermonum folijs,ſed in radi dice rationis.

Vnum ergo illis intereſt Interimenſibus,vt tantùm ſectetur vnitatem,ne ſcilicet pergant amittere charitatem : nec petant,vel ad momẽtum quidem,teſſeram vllam eos à nobis diſcriminãtem. Hæc enim eſt prora & puppis eccleſiaſticæ cõcordiæ:alioqui nihil ſequetur,niſi vel diſcordia concors,vel concordia diſcors. Atqui is eſt ſyncerę pacis genius,vt nec granulum perferat zizaniæ. Id ſenſit Auguſtin⁹ in cap. Teneam⁹. eadem cauſa & quæſtione. Teneamus (inquit) fratres mei vnitatẽ præter vnitatem:& qui facit miraculum,nihil eſt. Alio item loco Hieronymus:Vide quantum bonum eſt charitas. Si ita martyrium fecerimus,vt noſtras velimus ab omnibus reliquias honorari, & ſi opinionẽ vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram vſq; ad mendicitatẽ propriam dederimus:huic operi non tam pręmiũ, quàm pœna debetur: & perfidiæ magis tormenta ſunt,quàm corona victoriæ. Idipſum ergo, quod vnum reſtat,ſentiamus omnes,vnoq́; ore

glorificemus

glorificemus Deum & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula.

In ſumma, petitio ad [Interim] ſecum cōtraria pugnat. Aut enim verbi diuini veritatem in ſe continet (id quod vehemēter aſſerunt:) & ſic nō interim, ſed perpetuò, nec ad tempus quod petitur, annuendum foret. Aut certè à verbi diuini puritate recedit: & hac etiam in parte, non interim, verùm nullo vnquàm tempore aut petēda aut petita admittenda foręt res, de qua agitur. Viæ itaq; domini viæ rectę, & omnes ſemitę eiꝰ pacificæ. Et iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſq; ad perfectā viam: nec eam vllum remoratur [Interim.] Via autē impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Prouerb. quarto.

Nec valet ſi dicant rei, de qua agitur, nubilum in cauſa eſſe, cur permitti debeat [Interim.] Nā nihil obſcurum habet eccleſiæ decretum, cuius placita omnia in luce clareſcunt. Vbi verò ita eſſet: (quod planè falſum eſt) quis tam ſtupidꝰ, vt neſciat lite pendente nihil eſſe innouandum? Viuant igitur moribus antiquis, qui ſolo pruritu libidineq; contradicendi delectantur verbis pręſentibus, vſq; dum integris eccleſiæ comitijs eis ratio reddatur de ea, quam hactenus coluit, fide, ſpe & charitate.

Nam moribus antiquis ſtat res Romana, addo

etiam & Chriſtiana, viriſq;. Scriptum enim eſt Prouerb. 2. Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via mala, ab homine qui peruerſa loquitur. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: qui lętātur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Redite igitur Intermenſes præuaricatores ad cor, ne de vobis dicatur, quod de Ephraim olim propheta per conuitium dixit: Factus eſt Ephraim ſicut columba auolans, nō habēs cor.

Hîc etiā mihi vide, Chriſtiane lector, ineuitabilem errorum labyrinthum, & nodos indiſſolubiles: adeò ſunt teſticuli Leuiathan perplexi, adeoq́; vinculis ſcelerum ſuorum peccator cōſtringitur, vt ſe extricare nequeat. Demus enim ritum hūc in ſacerdotalibus nuptijs & laica ſub vtriuſq; ſpeciei cōmunione poſſe admitti. Schiſmaticus iſte ritus quem habebit epiſcopum? Schiſmaticúm ne, an catholicum? Catholicus certè non feret inſueto ac pernicioſo exemplo ſuas oues abduci & contaminari. Nam facilè

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq; negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

Ferre ergo nō poterit hanc rituum diuerſitatē, vbi Ephraim æmulabitur Iudam, & Iudas ęmulabitur Ephraim. Vnuſquiſq; carnē brachij ſui comedet. Confuſio erit plus quàm Babylonica, in qua alius aliū nedum nō intelliget, imò verò

inſectabitur & perſequeẽ. Schiſmaticus ne erit loci illius epiſcopus? At quomodo feret pars ſana languidum caput? Quomodo erit tuta ouis à lupo? Imò & alios ad ſe trahet à parte catholica ad ſchiſmaticã. Sicq́; dum parti morbidę proſpicimus, vt ne dicam conſulimus, catholico gregi offendiculum ponimus: cui potius conſulendum erat, quàm lapſo in deterius ouili, ne ſcilicet lædatur purum ab impuro. Rurſum, ſi admittimus epiſcopum extra ritum catholicũ: archiepiſcopus aut eodem erit infectus veneno, aut certè ſuffraganeum hunc ferre non poterit. Serpet itaq; virus modò à pedibus ad caput, modò verò à capite ad pedes. Et hĩc neceſſe eſt hac contagionis labe tandem ſynceriora membra fœdari. Vides hoc vno incommodo dato, inextricabilem ſequi errorum labyrinthum.

Quid igitur ſuperſit agendum, altiori indagine cõſiderandum eſt. Dicemus itaq; geminã poſſe intelligi permiſsionem iuris: vnam ſiue communis, ſiue priuati tanquàm de facto licito impunitatis: alteram ſaltem ad tempus. Cùm igitur eccleſia, ne decoloretur eius ſtatus, ius dare nequeat inceſtuoſis cõnubijs, atq; etiã ſchiſmaticis poſtulatis, imò declarare debeat id iure nõ poſſe fieri, aut iuſta conceſsione concedi; id vnũ forſan ſupereſt, vt ſi res id exigat, ne pax cõmunis lædatur, quando aliâs imminenti ſeditioni

obuiam iri non poteſt, ſola permiſsio accedat impunitatis. Huc enim ſpectat verbum Auguſtini in cap. Infideles 23. q. 4. Quando multitudo eſt in ſcelere, nec ſalua pace eccleſiæ mala puniri poſſunt: tollerãdi ſunt poti⁹, quã violata pace eccleſię puniẽdi. Et in cap. Cũqſq; quãdo crimẽ notũ eſt, omnibuſq́; execrabile apparet, vt vel nullos prorſus, vel nõ tales habeat defenſores, p̱ quos poſsit ſchiſma cõtingere: nõ dormiat ſeueritas diſciplinæ. Quib⁹ verbis innuitur, vbi immineret ſchiſma proximũ poſſe per impunitatẽ tãtũ, vſq; dũ ceſſet periculũ, huiuſmodi ſcelus tolerari. Tunc enim ſolæ boni ſuperſunt orationes & lachrymæ, vt eſt in cap. Sicut, eadem cauſa & queſtione. Et id clariſsimè demonſtratur in cap. Ipſa pietas, vbi Auguſtinus ait: Verũ in huiuſmodi cauſis, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras non huius aut illius hominis eſt periculum, ſed plurimorum ſtrages iacent: detrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis ſyncera charitas ſubueniat. Huc etiam ſpectat concluſio Gratiani in § Ecce. cap Quid faciet. Ecce quòd crimina ſunt punienda, quando ſalua pace eccleſiæ fieri poſſunt: in quo tamen diſcretio adhibẽda eſt. Aliquando enim delinquentium multitudo, diu per patientiam ad pœnitentiam eſt expectanda: aliquando in paucis eſt punienda, vt eorum exemplo cæteri

terreantur,& ad pœnitentiam prouocentur. Et in cap. Nō poteſt. per decurſum totius capituli.

Curabit nihilominus interim paſtorum ſedulitas, (quorum area & ouile his ſchiſmatum calamitatibus exagitatur) inquirere, ac ſibi cōparare, viros zeli & charitatis ardore accenſos, qui ex Pauli ſententia in omnibus ſe præſtent miniſtros verbi: arguentes, obſecrantes, increpātes oportunè, importunè in omni patiētia, quorū ipſi duces eſſe debēt. Et īplorato ſummi monarchię auxilio, ab omni iniuria tutos illos eſſe oportet: vt ſimul cum impunitate cōceſſa ſchiſmatis, detur plena libertas & auctoritas catholicis ſuo fungendi munere, in reuocādis ad ouile per errorem diſpalatis ouibus. iniungendo ſub grauiſsimarum pœnarum interminatione, ne quis ſeditiosè audeat interuertere curſum legitimæ prædicationis per catholicos paſtores inſtitutæ aut inſtituendæ. Sic fiet, vt paulatim in viam redeant, qui à recta deuiarant: tandemq́; ceſſante periculo ſeditionis, cogentur etiam intrare nolentes. Prodeſt ſeueritas, cuius miniſterio quies adiuuatur. Oportet enim per ſæcularis potentiæ diſciplinam à praua conſuetudine coerceri, qui per ſalutifera ſacerdotum monita noluerunt reuerti. Audienduſq́; eſt poſtremis verbis Iſidorus in cap. Principes. 23. q. 5. cuius verba referam: Principes ſæculi nōnunquā

intra eccleſiã poteſtatis adeptæ culmina tenent vt per eandem poteſtatem diſciplinam eccleſiaſticam muniant. Cæterùm intra eccleſiam poteſtates neceſſariæ nõ eſſent, niſi vt quod nõ præualent ſacerdotes efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cœleſte regnũ proficit: vt qui intra eccleſiam poſiti contra fidem & diſciplinam agunt, rigore principum conterantur: ipſamq́; diſciplinam, quam vtilitas eccleſiæ exercere nõ præualet, ceruicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat: & vt venerationem mereatur, virtutem poteſtatis impertiatur. Cognoſcãt principes ſeculi Deo ſe reddituros rationem propter eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiũt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur: ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam eccleſiam tradidit. Res enim omnes (vt Leo inquit) aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſsionẽ pertinent, & regia & ſacerdotalis defendat authoritas. Obſeruandum potius, maturoq́; penſandum libramine, exactum, & ad rectę fidei regulam conſtitutum, Cochlæi pij iuxta ac docti viri prudẽs iudicium: qui libro Miſcellaneorum, & tractatu tertio omnia ad libellam appẽdens, præſagit fucatam hanc concordiam,

vnum è duobus parituram. Aut grauius inter Germanos diſsidiũ, dum alius alium faſtidiet: quandoquidem vna ſemel admiſſa inter fideliũ ritus cultuſq́; diuini variante teſſera, vſq; ad ciuiles & domeſticas rixas hæc noxa perueniet. Filius in patrem, vxor in virum, ſeruus in dominum, maioris pietatis prætextu facilè inſurget: ſi videlicet alia admittatur in Proteſtantibus quàm in Ortodoxis, dũ res ſacræ tractabũtur, conditio aut teſſera. Aut certè futurum coniectat, vt potius Chriſtianiſmus in Lutheraniſmum, quàm Lutheraniſmus tranſiturus ſit ad Chriſtianiſmum. Vaniſsimũ enim eſt, & omnino abſurdum, ex morbo ipſo ſanitatem potius, quàm ex antidoto, comparare velle. Non enim ægritudo ægritudine, ſed contrario pharmaco curatur. At ipſi volunt nouo ſchiſmate vetꝰ extinguere, quod pœnitentiæ remedio vnico extrudi oportuit. Quis neſcit vnica in nauigio rima, niſi ſtatim obſtruatur, nauigia tota perire? Nec ſatis eſt deramaſſe peſtilentem arborẽ, niſi tota ipſa radicitus euellatur. Sermo hæreticorum, vt cancer, ſerpit: ſuaq́; ſponte creſcunt herbæ nocentes, breuiq́; ſegetem (quantũuis fœlicem) opprimunt: admiſſa ſemel impunitate, quæ in crimine locum habere non poteſt: cùm non ſint facienda mala, vt inde eueniant bona. Sed nec ſolùm qui agunt, imò & qui agentibus

conſentiunt,pœnam certiſsimo iure merentur. Audiendus in hac re Paulus, qui in Theſſalon. 2.tertio ait:Denunciamus vobis fratres in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti,vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè non ſecũdum traditionem, quam acceperunt à nobis. Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam,hũc notate:nec commiſceamini cum illo,vt confundatur.Si igitur in eos animaduertẽdum eſt,qui à legibus eccleſię recedunt:qua frõte,quáve audacia,illis per nos licebit ſelectis legibus vti?Nihil certè inde ſequi poteſt, niſi fucata vnio,certiſsima verò diuiſio,ſeditioſa ꝗes, pax bellorum artibus inuoluta:cùm ſimulata æquitas,non ſit æquitas,ſed duplex iniquitas. Quis neſcit bonum eſſe ex integra cauſa, malũ verò ex defectu? Si pij dici & haberi volunt: quin igitur pietatem ſequuntur,quam extra eccleſiam non eſt reperire? Si ad eos accedamus, augebimus numerum malorum.Si verò certiſſimis recipiſcentiæ ſignis datis ad nos acceſſerint:quid niſi augebitur numerꝰ bonorũ? Quid autem fruſtra conamur cum eis conuenire, qui ipſi inter ſe diſsidẽt?Quin & ſi ipſos audimus, veteri nondum exuta pelle,pios per orbem diſperſos Chriſtianos à nobis ipſis incauti & imprudentes ſeparamus.Sicq; duabus ſellis ſedere putantes vtraq; excludimur. An neſcimus id

nobis competere,quod ſcriptũ eſt: Tene quod habes,& nemo accipiat coronam tuam? Apocalyp.3. Illis verò,quod idem Ioannes.2.ait: Memor eſto, vnde excideris. Age pœnitentiam. Prima opera fac. Sin autem, veniam tibi citò: & mouebo candelabrũ tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. In his ergo perſiſtendum eſt, nec declinandum ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram.

Obſeruandum inſuper horum authores poſtulatorum vnũ ſub Deo agnoſcere ſecularem principem: id quod nec ipſi probatur Cæſari, vt pote pio ac religioſo monarchæ: neglecta prorſus ac ſuppreſſa vnius in eccleſia pontificis authoritate. Sic enim habet in ſua ſchiſmatica farragine, deformiſiſsimaq́; reformatione, Hermãnus præſul olim Colonienſis: Quare vt primũ debitam Chriſto domino obedientiam præſtaremus, deinde vt noſtrum ſummum magiſtratum Cæſarem agnoſceremus, poſtremùm vt emendationem in populo nobis commiſſo quæreremus, &c. Hîc primùm rogandi ſunt poſtulatores improbi, quo gradu quove numero, habendam exiſtiment ſanctę ſedis Apoſtolicæ authoritatẽ. Deinde an nouellas ſuas traditiones ita exiſtimẽt ſacroſanctas, vt velint, niſi religione violata vllatenus poſſe præteriti, ſibiq́; tantũ tribuant, quòd leges ſuo arbitratu dicere & in-

dicere poſsint,non etiam accedente ſedis Apo ſtolicæ conſilio & conſenſu. Vt ergo paucis dicam:nihil aliud,quàm fraus tecta paratur. Quæ res apud multos,nec prorſus imprudẽtes & incautos,peioris alicuius mali ſuſpitionem præbet. Nemo enim non admiſerit epigrammatarij ſententiam hoc abſolutam diſticho:

Simpliciter pateat vitium fortaſſe puſillum:
Quod tegitur,maius creditur eſſe malum.

Rurſum,quid fruſtrà queruntur luxus tantùm laſciuiæq; patroni, aut cuius cauſam tuendam ſuſcipiunt:cùm nullus appareat,qui meritò cõqueri poſsit? Primùm enim, ſi ſint ex inſtituto laici:quid ad eos attinet aut proponere,aut cõqueri ſuper clericorum cœlibatu? Si autem clerici,necdum vouẽtes:quis eos ad onus illud capeſſendum accedere compellit? Si graue exiſtiment, abſcedant:nec ſe conijciant in has compedes, qui nolunt in ſe recipere propoſitum onus,nec ſe ingerant officio. Potius enim abſterrẽtur accedentes,quàm inuitentur. Quid igitur conqueritur ſui compos de onere necdum impoſito,nec,niſi velit,imponendo? Sacerdotes in veteri organo in reliquis indumentis ab alio veſtiebãtur:ſubligacula autem,quæ ſunt vere cõtinentiæ teſſera, ſibi quiſq; aptabat. Non alius alium hoc genus indumenti induebat. Superſunt igitur clerici, qui & vouentes:quos nemo

negauerit delicatos appellantes dici debere, cùm vltrò ſibi vincula iniecerint, dicturi potius neminem pro eis reſpõſurum: Quid enim dicam, aut qs ꝓ me reſpõdebit (ait Pſalmiſta) cùm ipſe fecerim? Neſcit vox miſſa reuerti: vt Poëta ait. Rurſumq́; alius: Nec, quæ præterijt, rurſum reuocabitur vnda, Nec, qui præterijt, ſermo redire põt. Quid hîc igitur fruſtrà laborat patronus: cũ nullus ſit, qui cauſam prætexere poſsit querimoniæ? Nã & ſera foret in fundo pœnitẽtia, cũ ſcriptum ſit: Quæ vouiſti deo, ne moreris reddere. diſplicet enim illi ſtulta & infidelis ꝓmiſſio. At qs locus iniuriæ, cùm ſciẽti & volẽti nulla fiat iniuria neq; dolus? Quieſcãt igĩ, & cauſam mouere deſinant carnalium deſideriorũ patroni, ſeu laici, ſeu clerici, ſeu etiam vouentes: & illicita poſtulare deſinant, alioqui audituri: Neſcitis quid petatis. cùm ſtultum ſit petere, quod poſsit iure negari, non in poſterũ ſolùm, verũ etiã ad quãtuluncunq; tẽporis interuallũ. Nã ſi cõcedũtur nuptiæ: illas non ad tẽpus, verùm in perpetuum concedi oportet. Habẽt eñ indiuiduã vitæ copulam annexam, ſi iuſtæ admittantur nuptiæ: alioqui nullam, nec ad momentũ licitam, ſi iniuſtæ. Sed & actus legitimi non recipiunt conditionem, neq; diem. Vides, vt neſciant hi poſtulatores improbi, neq; quę loquuntur, neque de quibus enunciant. Quin

ſeipſos ſuis antilogijs irretiunt & obruunt. Sola potius mater eccleſia eſt, quæ meritò de adulterinis filijs conqueri habet ac dicere: Adeóne errant homines iſti, ſenſu communi carentes, de quibus ſcriptum eſt: Defecerunt peccatores à vulua, errauerũt ab vtero, loquuti ſunt falſa? Quin ego potius de eis conquerar filijs Belial, ſine iugo, quàm ipſi de me. Nonne oculus eorum nequam eſt, quia ego bona ſum? Nonne poſſum facere quod volo de rebus meis? Si carnem velint ſequi dominam, tollãt quod ſuum eſt, & vadant: ſi nolint, legem continentiæ propoſitam ſuſcipiant. Ea eſt apud omnes artifices libertas in quacunq; arte, etiam viliſsima: vt nemo ad profeſsionem recipiatur, niſi onere in ſe recepto, quod illi profeſsioni imponitur. Si igitur illis licuit legem imponere, quã ſubire neceſſe ſit artis profeſſores: cur mihi rei tam ſacræ non licuerit onus annectere continentiæ? quod quidem ſuſcipere habeat, quicunq; accipere etiam velit commodum. Nam propter officium, datur beneficium. Pudeat igitur nuptiarios iſtos, diſciplinæ eccleſiaſticæ oſores, mihi inuidere eam libertatem in ſtatuendis honeſtis legibus, rei etiam de qua agitur, neceſſarijs: quã nec denegare poſſum ipſis veteramentarijs in ſuæ artis profeſsione cerdonibus. Cùm hæc nihil habeant, quod opponere poſsint Interimen-

ſes:quid aliud ſupereſt, quàm perpetuum illis imponere ſilentium? Quod citò primo quoq; tempore facturi ſunt, ſi ſapiant, pij ac religioſi eccleſiæ catholicæ proceres. Reſpondendum enim eſt ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.

Quod autem ad farraginis huius Interimenſis toties fuſæ ac refuſæ conſarcinatores attinet, vix credas eos apud ſe fuiſſe, cùm ſua cõmenta aut meditarentur, aut æderent. Scatent eorum placita innumeris penè antinomijs, ſecumq́; pugnantibus ſententijs. Siquidem vna ex parte volunt viri omni experientia deſtituti, rudeſq́; in rebus agendis, non recipi ad ſacerdotium, niſi qui ſextum ſuæ ætatis ſupra trigeſimum attigerit annum. Quæ res in tota ſcriptura exemplo caret, cùm de trigeſimo anno frequẽs habeatur mentio. Qui ſi vel micam ſalis haberent, intelligerẽt pro ſacrificijs celebrandis, cõfeſsionibus audiendis, ſacramẽtiſq́; adminiſtrandis, in tanta Chriſtianorum multitudine, ſi grandæua ætas exigatur, vix vnum pro mille ad modicum temporis ſacerdotem inueniri poſſe. Rurſum in tam matura ætatæ, domitis iam inſultibus carnis, ſumptoq́; iam de futuræ cõtinentiæ per longã ætatẽ periculo, quid opus eſt cõcedere facultatẽ copulæ carnalis ineundæ, cùm feruor libidinis magna iam ex parte refrixerit? Sed nec

mortiferũ fugitę, execramini, declinate: & ab eorum colloquijs, ſi increpati à nobis corrigi noluerint, abſtinete. Quoniam ſicut ſcriptum eſt, ſermo eorum ſerpit vt cancer. Iuſto enim iudicio ab eccleſiæ vnitate reiectis nulla eſt tribuenda cõmunio: quã nõ noſtris odijs, ſed ſuis ſceleribus perdiderũt. Hęc ille. Reliqua proſequamur.

Quę verò peſtilẽtior effingi poteſt pſeudonomia, cui etiã præſentiſsima comes adſit ſplendida antilogia: quam rapſodus mentitæ reformationis olim Coloniẽſis Hermannus effutire non erubuit, aſſerens ſe vrgeri diuinis legibus ad ea conſtituenda, quę agenda proponit, cùm nihil magis illis aduerſetur? hoc addens, quod [Interim] ſaltem locum habeat, vſq; dum adfulſerit liberum œcumenicum concilium. Quid ais ſchiſmatice? In legibus diuinis quis ſobrius admittit [Interim?] Timor domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi: Iudicia domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Lex domini immaculata conuertens animas, nimirum à carne in ſpiritum, non peruertens à ſpiritu in carnem. Si ergo lex diuina eſt, nõ habet [Interim]. Si recipit [Interim,] nõ eſt euãgelica, vel teipſo authore, q̃ ais nihil eſſe ſtatuendũ, niſi quod ex verbo diuino perſpicuum habeat fluorẽ, & inelu ctabilẽ ſequelã. Ego verò

contrà, pronuncio non licere quidquam interim admittere, quod patrum teſtimonio nunquàm licuit permittere: quòd videlicet ſacra fœdera, iuratiſsima vota, irrita fiant: quòd actus legitimi conditionem accipiant: inceſtuoſi cõcubit⁹, quos etiam Turca ipſe reſpueret, vel ad momentum tolerentur. Vides pſeudonomiæ iunctim adhærentem antilogiam? Hæc impudentiæ perſpicua omnibus turpitudo, quę etiã in ipſis terminis cùm obrepere in Germaniam niteretur, cura & diligentia Bonifacij Germanorum apoſtoli, ductu verò & auſpicijs Zachariæ põtificis, apertiſsimo edicto exploſa eſt. Id apertè monſtrat epiſtola Zachariæ ad eundem Bonifacium reſpõſiua in hunc modum: De illo namq;, qui viduam auunculi ſui, quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ſacrum velamen habere monſtrata eſt, & à beatæ memorię prædeceſſore noſtro ſibi licentiam conceſſam eſſe diuulgauit, vt eam in pernicioſo matrimonio aſſumere debuiſſet (abſit hoc, vt prædeceſſor noſter ita præciperet. nec enim ab apoſtolica ſede illa diriguntur, quę contraria eſſe patrum ſiue canonum inſtitutis perhibentur) admonere, adhortari, increpare eos frater ne ceſſes, quatenus à tali ſceleſto recedant matrimonio, vt non in æternum pereant. Reminiſcãtur enim ſe Chriſti ſanguine eſſe redemptos, & nõ

ſpontè

ſpontè ſe contradant (niſi ab ipſo receſſerint inceſto matrimonio) diaboli poteſtati, ſed magis illi deo & Chriſto filio ei9, ſpirituiſancto quoq;, in cuius nomine ab illius antiqui hoſtis erepti ſunt poteſtate. Hæc ille. Ibi nullum habuit locũ Interimẽſis permiſsio, cùm tamẽ tenerrima adhuc fidei planta ſuccreſceret, vixdum iactis primis diſciplinæ eccleſiaſticæ fundamẽtis. Sed lõgè apertius eſt, quod paulò antè præcedit. Sic enim habet: Dum iuuãte Deo, quæ à præfato filio noſtro promiſſa ſunt, ad effectum perducta fuerint, tuaq; fraternitas memorato concilio cõſederit, cum eodẽ excellentiſsimo viro, ſi quos repererit epiſcopos, preſbyteros, aut diaconos, contra canones vel ſtatuta patrum exceſsiſſe, id eſt in adulterio, vel ſi plures vxores habuerunt, aut ſi ſanguinem Chriſtianorum ſiue paganorũ effuderunt, vel etiam alijs capitulis, quibus canonibus obuiaſſe eos repererit tua ſanctitas, nulla ratione apoſtolica authoritate permittat ſacerdotio fungi: quia tales à ſuo proprio ore falſi nominantur ſacerdotes, & peiores ac deteriores ſecularibus eſſe noſcuntur, qui ſe neq; à fornicationibus, neq; à nefarijs matrimonijs abſtinẽt, neq; ab hominum ſanguinis effuſione manus ſeruãt innoxias. Quales ſe eſſe ſacerdotes exiſtimant, aut quid inde ſentiũt, dicente Deo: Sacerdotes mei ſemel nubant? Et Apoſtolus, vnius vxoris

virum,&c.& hoc ante ſuſceptum ſacerdotium vti licitum eſt. Nam à die ſuſcepti ſacerdotij etiã ab ipſo proprio coniugio prohibẽdi ſunt. Quomodo ſacerdotio fungi conſiderant, qui talibus ſceleribus inuoluti eſſe monſtrant, vt neq; ſeculares fideles his facinoribus obuolutos optemus? Quomodo nõ pertimeſcũt diuina myſteria contingere? Aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præſumunt, dum ſacri canones neq; purum clericum, cui ſacerdotium non eſt, ſecundis copulari nuptijs præcipiunt? Iſti enim econtrariò, non ſolùm poſt ſuſceptum ſacerdotium ſe abſtinere ab vna vxore nolunt, imò luxuria obuoluti, peiora ſeculariũ ſcelera committũt, vt plures vxores habere prȩſumant, quibus neq; vnam conceſſum eſt poſt ſuſceptum miniſterium attrectare. Sed iſta paruipendentes, atq; ad iracundiam prouocantes, maiora committũt facinora, dum proprijs manibus Chriſtianos atq; paganos homines necãt. Et fit, vt quibus in remiſsionem peccatorũ debuerunt lauacrũ regenerationis impendere, atq; Chriſti ſacramentum donare, ne in ȩternum perirent, eorundem ſacrilegis manibus ipſi extinguantur. Hæc ille. Ecce Bonifacius ait pugnare cum ſacris inſtitutis ſacrilegos ſacerdotum amplexus. Schiſmaticus autem ait illos eſſe admittendos, vrgente etiam diuina lege. Vtri creden-

dum putatis, ô Eccleſiæ proceres, huic ne ſordidiſsimo ſchiſmatico, an ſanctiſsimo viro apoſtolico Bonifacio ſuper his conquerenti, ac religioſiſsimo pontifici Zachariæ inceſta connubia cum execratione damnâti? Vbi frons? Vbi pudor? vbi ſaltem ſimulata honeſtas, dum quis prophana pro ſacris habēda citra ruborē proponere audeat? Quænam eſt iſta improbitas, quod flagitium, quamq́; immane ſacrilegium, in ſacrarium legum diuinarum luxum ac carnales trahere delitias? cùm ſcriptum ſit: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Rurſum quis furor, quodue delirium, carnalibus curis ac deſiderijs eos immergere velle, quos nihil non deceat, quod honeſtati, puritati, ſynceritatiq́; ſeu mentis, ſeu corporis expedire videatur? Quid enim aliud exiſtimandum eſt ſacerdotium, quàm ciuitas ſupra montem poſita: domusúe in medio conſtituta foro, quæ omnium pateat iudicijs? nihil inquam aliud, quàm candela ſupra candelabrum, quam cunctis prælucere oporteat quantumuis aut cæcis, aut cæcutiētibus. Quid aliud cenſeri debēt altaris miniſtri, quàm fideles ſerui ac prudentes ad quinq; talenta nō ſine fœnore reddenda obnoxij. Qui etiam veri paſtoris perſonam induentes, animā ponere debeant pro ouibus ſuis, inq́; omnem euentum pro tuendo grege aſsiduos ſe pręſtare

excubitores. Neſcitis (inquit Paulus) quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt: ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt cõprehendatis. Omnis enim qui in agone cõtendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Illud cui magis, quàm ſacerdoti, credas congruere poſſe? Iuſtè igitur, ſanctè, & oportunè inſtitutum eſt: ne quis ſe ingerat ordinibus ſacris, diuiſus partim mũdo, partim Deo obnoxius: ſed mundano excuſſo onere, integer ad miniſterium altaris, atq; ad regimẽ accedat animarum. Non enim bene conueniunt, nec eadem ſe demorantur maritales delitiæ, curáve familiæ: & mens ad Deũ erecta. Si enim recipitur cõiugium ad prolem generandam pro ſtatu ſpeciali, citra tamen particulare præceptum, citra etiam conſilium de bono excellenti: cur nõ etiã deſignabitur aliquis ſtatus, cui annexus erit & cœlibatus pro re tractanda euangelica, vt liberius adminiſtretur atq; ſyncerius, ad quã nemo ſatis vnquam purus acceſsit? Præterea Chriſtus inuitat ad cœlibatum: cur igitur non deſignabitur huic negocio certum præmiũ his, qui huiuſmodi cœlibatum obſeruare cupiunt? Cuius fruendi gratia Chriſtiani omnes ſpontè ac liberè, nemine impellente, largos prouentus, Spiritu ſancto inſtigante, contulerunt. Abſit ergo, vt

ad pauperum corradendas eleemoſynas admit-
tãtur nuptiarij ſacerdotes. Quòd ſi dixeris per
coniugium multos poſſe conuerti à peccato: di
cam ediuersò, lõgè plures eo ipſo nomine pro-
prio officio defuturos. Paulus voluit, quòd etiã
qui habent vxores, ſint tanquam non habentes:
quomodo ergo permiſſurus eſſet, quòd qui re-
nunciarunt rei vxoriæ, retrò reſpiciant, & ſe iu-
go carnis ſubmittant? Meritò damnantur, qui
neq; nuptias, neq; cœlibatum colunt: præmia ta
men cœlibat⁹ recipiunt. Id quidem malum eſt:
ſed longè deterius foret, ſi abiecto cœlibatu, cõ-
tinentię præmia per ſummã iniuriam inceſtuo-
ſis nuptiatoribus publica permiſsione vel edi-
cto applicarentur. Hæc abundè ſufficere debent
ad obturanda ora loquentium iniqua.

Nunc enumeranda ſunt, ſi non ex toto, ſaltẽ ex
parte (Singula enim quis enumeret?) incommo
da, & ea quidẽ nec leuia, nec pauca, quæ eiuſ-
modi ſchiſmaticam teſſeram ſturnatim gracu-
latimq; ſequuntur. Primum futurum eſſet, vt v-
ſus confeſsionis auricularis langueſcens ſua ſen-
ſim robora perdat, & amiſſa iam maieſtate rece
dat. Id quod nec ipſos latet cõiuratos rerum o-
mniũ ſacrarum infenſiſſimos hoſtes. Sic enim
vno venabulo duos apros ſe confecturos putãt.
Quis (vt cætera taceam) lubens ſua ſecreta effun
dat in ſinum cõiugati ſacerdotis, ad cuius latus

nupta iaceret plena rimarũ huc illucq́; deſluẽs? Quid ipſa nõ extorquebit à viro, vti à Samſone Dalila, ſuper ſecretioribus viciniæ culpis ſacerdoti iam reuelatis? Quo ſemel errore deprehenſo, vix milleſimum quenq; reperies, qui culpas ſecretiores retexere ſuo parocho aut dignetur, aut audeat. Deinde quis non videt fraudatã eſſe fundatorum intentionem? dum ſcilicet eleemoſynæ, quæ in pauperes diffundendæ erant ac diſtribuendæ, & cœlibe extincto ad manum alteram deuenire debebãt: patre nondum mortuo, ad deſolatam vxorem, inertes liberos, mox cõſumendæ ac diripiendæ deuenient absorbebũturq́; breuis horæ momento, ſicut plumbum in aquis vehementibus. Quid enim faciat, vnde viuat, patre iam extincto, quę ſolis oblationibus vitam ſibi comparabat, omni iam arte & auxilio deſtituta familia? cùm prouentus fundationum, niſi per eam prius aſtu direpti fuerint, ad externam manum ſint deuenturi. Videndũ prætera, ne fundatorum ſucceſſores repetere ſe iure poſſe contendant, quæ à prioribus data ſunt ob cauſam, cauſa nõ ſequuta. Sicq́; in nihilũ tandem redigetur eccleſiæ miniſterium. Deerũt enim miniſtri, niſi ſuperſint alimenta, quibus ſuſtentari queant. Quis autem neſciat in adminiſtrandis eccleſiæ ſacramentis ampliorem miniſtrorum exigi copiam in hac noſtra lege euan-

gelica,quã olim ad ſacrificia veteris legis explẽ-
da? Ibi eñ vn⁹ pro mille,hîc verò mille pro vno
vix ſufficere poterũt. Ibi trib⁹ vnica delecta ſuffi
ciebat:hic verò vndecũq; adfluit pauperũ nume
rus,qui poſt ſtudia literarũ eccleſiæ ꝓuẽtib⁹ ali
tur. Tertiò,quis ferat vxorẽ ſacerdotis,nẽpe (vt
ſic dicã) epiſcopã,aut archidiaconiſſam locis in
eccleſia inſigniorib⁹ præferri, aut æquari nobili
atq; ingenuę perſonę? Hinc rixæ,hinc ſupra o-
mnẽ numerũ cõtẽtiones ſequẽtur,odiaq́; inde-
lebilia. Vt interim illud omittã, quod alio ex-
plicuim⁹ loco:quòd ceſſante cœlibatu,vix terra
recipiet habitatores ſuos. Nihil enim aliud ade-
git priſcos illos ſeptẽtrionaliũ nationũ tyrãnos
Hunnos inquã,Gothos ac Vãdalos, nouas ſibi
quęrere ſedes:quã quòd cũ oẽs,nulla ĩtermiſsio
ne cœlibat⁹,vacarẽt generationi,dũ ex vno de-
cẽ,ex decẽ cẽtũ,ex centũ mille,ex mille decẽ mi
lia,tertia generatiõe intra annos prope ſexagin
ta ꝓcrearẽtur:ita vt proprijs numeroſa eorũ ſo
boles nullaten⁹ cõtineri poſſet limitib⁹. Sol⁹ cœ
libat⁹ huic vaſto ĩmẽſę generatiõis pelago termi
nũ ĩpoſuit:ita vt nõ vltrà ſine fine mõq́; excreſcẽ
tes gñationũ fluct⁹,cõuerterentur operire terrã.
Ad hęc, vix ſacerdoti vnico & cœlibi,quẽ nulla
ſobolis alẽdæ cura ꝑmit,tria (vt paſsim videm⁹)
ſufficiũt ſacerdotia. Quomodo igit vnicuĩ ſuffice
re poterit (vt ſuis legib⁹ caueri volũt vertiginoſi

proteſtantes(viro,vxori,familiæq́; ſuſtentãdæ? Si enim in viridi cœlibatu hæc faciunt:in arido,ramoſoq́;,ac frondibus luxuriante,connubió,quid fiet? Qui iſtas commentantur leges viri omnium ſtupidiſsimi,ſine prudentia,ſine cõſilio:vtinam ſaperent,& intelligerent,ac nouiſſima prouiderent.

Deniq́;,omnia tandem confunderet interturbaretq́; ſacerdotalis copia familiæ. Hinc bigamię, inceſtuoſi concubitus,aſtus, fraudes,rapinę apud familiã,patre extincto:inq́; aliam familiã tranſlato ſacerdotio,ſola remanẽte apud poſteritatẽ fame,nuditate atq́; inedia. Quid enim nõ mortalia pectora cogit vẽtris dira fames? Auſim ego perſanctè aſſerere iſtos rerum legũq́; nouatores ante expletũ decenniũ ſententiã mutaturos,ſtatim perſpecto rerum inde ſequentiũ miſero & infœlici euẽtu. Atqui vbi de communi eccleſiæ ſtatu agitur,ſapientum omnium oraculo exigitur nationum ſcientia & conſenſus,vt ſeruetur tenor capituli:Erit autẽ lex facilis,poſsibilis,vtilis patrię,& pſonarũ morib⁹ cõueniẽs. Alioqui poterũt nationũ prælati opponere ipſi etiã põtifici,ſi inſtaret in cõtrariũ,legẽ illã ferẽdã morib⁹ patriæ nullaten⁹ cõuenire. Extat ſup hoc ca. In iſtis. diſt. 4. Cõueniũt Inno. Archi. Abbas Sicul⁹ in cap. Quãto. de cõſuetu. oẽs vno ore negãtes,poſſe decolorari ſtatũ vniuerſę

eccleſię lege quacũq; aut lata, aut ferẽda: cũ data ſit poteſtas in ędificationẽ, & nõ ĩ deſtructionẽ. Ideoque adſerit Sãclemẽtinus Iacobatius poſſe etiam reſiſti ſententiæ papæ eccleſiam ſcandalizantis. Quid igitur agendum cenſes, priuſquàm feratur? Illudq́; inſuper addit, aduerſus generalem ſtatum eccleſiæ ſtatui nõ poſſe, niſi declarãdo, ex cap. Sunt quidam. 25. q. 1. Nec profuerit pro nuptiarijs iſtis proferre quoſdam vetuſtos canones: cùm ex cap. In canonicis. 19. diſtinct. cedant veteres recentioribus, & pauca ſuffragia pluribꝰ. Laudamꝰ (ait ille) veteres: ſed noſtris vtimur annis. victaq́; cõceſsit priſca moneta nouę. Dixeris forſan affectione magis, quàm ratione pulſatus, non probari cœlibatum Germanis: quod tamen fieri debuit, priuſquàm lex vniuerſim probetur, quæ omnes tangit. Ad quod pręſentiſsima reſponſio eſt, quòd inſtitutio, etiam ſi aſpera videatur, reducens ad ſtatum, à quo qs collapſus ſit, nempe à concubinatu ad cœlibatum, minimè exigit nouum iam obligatorum conſenſum. Neq; enim diſplicere poteſt, quod ſemel placuit. In via Dei nõ progredi, regredi eſt. Neq; aptus eſt regno Dei, qui miſſa ſemel manu ad aratrum, reſpicit retrò. Conſpirant canones: Cùm dilecti. quod metus cauſa. &, Super eo. de regularib. Quis ergo prætendat intereſſe? Initiatús ne ſacris, an initiandus? Ille, nequaquã:

cùm ſciẽti & voléti nó fiat iniuria, neq; dolus.
Iſtum nemo cõpellit accedere. Sibi ergo imputet, ſi talem ſtatum eligat. Eccleſia verò ſuo iure ſtultis in hac cauſa patronis, ſtuporem obijcere poteſt his verbis: Nónne oculus tuus nequam eſt, quia ego bona ſum? Nónne poſſum facere quod volo de rebus meis? Tu igitur res tuas tibi habeto, tu mihi linque meas. Viſum enim eſt ſpiritui ſancto & nobis, ſummum genus pietatis eſſe, in ea re fuiſſe ſeueram.

Iam qui ſtipendia pro re quapiam cuſtodienda ſibi numerari poſtulat: res illa ſi pereat, perit periculo eius. Reſtat ergo, vt ſacris initiatus in ſeruando cœlibatu, de leui etiam culpa teneatur. Scriptum eſt enim, Omnis qui in agone cõtẽdit, ab omnibus ſe abſtinet. In quo genere certaminis ait Paulus: Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Cui ſuccinit Pſalmiſta, dicens: Labores populorũ poſſederunt, vt cuſtodiãt iuſtificationes eius, & legem eius requirant: & eam maximè, de qua ſcriptum eſt: Patere legem, quam ipſe tuleris. Iam autem nõ eſt locus diſceptandi de legibus, ſed viuendũ ſecũdũ leges: cũ de æquitate huius legis cõtẽdere, planè aut ſchiſmaticũ cẽſendũ ſit, aut hæreticũ.

Tu verò mihi vide, Chriſtiane lector, quantam malorũ Iliadẽ ſecũ aduehat peſtilẽs iſthęc poſtu

latorũ rapſodia. Annón ex ea futurũ cernis (vti
nã me mea fallat opinio) quòd ſtatim poſt fata
eius, qui præeſt, monarchæ, ſibi populariter de-
lecturi ſint ſuę impuritatis fautores, ſummosq́;
patronos, vi etiã, ſi id ꝑcario obtinere nequeãt?
ſtatimq́; lacera ac deformis apparebit ꝑ dioece-
ſes ſingulas miſera eccleſiæ facies. Armabit gẽs
cõtra gentẽ, & regnũ aduerſus regnũ. Hinc vul-
nera, hinc ſtrages, hinc horrida bella ſequent̃. Et
hi ſunt fruct⁹, hi ꝓuẽt⁹, hęc miſerãda ſeges ſemẽ
tis hui⁹ peſtilẽtiſsimę Interimẽſiũ poſtulatorũ.
Sed væ hõi, quo incẽtore, fautoréve, aut autho-
re hęc ſcãdala ſuboriẽt: quẽ ſati⁹ fuerat nõ naſci.

Quod aũt acri⁹ vrget, expẽdere debuerãt ver
ſatiles iſti euripi, q̃ tã facilè ad oĩa cõniuent quã-
tũuis ꝑnicioſa ac plena periculi, in omnẽ aſſen-
tatiõis cauſam parati, mõ ne cuiquã diſpliceant:
quãta mala immineãt ſynceris catholicis ab im-
pijſsimo hęreticorũ iugo, vbi nõ de focis tantũ,
immo verò & de ipſis agit̃ aris. Qua de re ita diſ
ſeruit in ſua Veneta hiſtoria Iuſtinian⁹ patrici⁹,
aſſerẽs ob eã cãm Eliã patriarchã Aquileienſem
ſedẽ cõmutaſſe Gradẽſi. Verba Elię referã in ſua
cã ita perorãtis. Diutius nos (ait) fratres, ſpes fru
ſtrata eſt hac vna expectatione centũ & ampli⁹
annos: id eſt, ab Athila in hũc vſq; diem melio
rẽ eccleſię ſtatũ expectaui⁹. Deterior ĩdies eſt fa
ct⁹: ſed aliũ finge min⁹ auarũ fore. q̃nã obſecro,

fideli ſatis grata accidere poteſt vita inter infideles? Aut quam ego deteriorem moleſtioremq́; exiſtimem, quàm inter hæreticos? Cum gentili homine nũquam ferè accidit contentio. At verò nulla datur pax cum hæreticis: vel propter quotidianos eccleſiarum fructus, qui ab eodem Chriſtiano nomine vtriſq; proueniunt: vel quia ferre non poſſunt in eadem aſſeueranda veritate ſuperari. Elati ſunt & ſuperbi ſi quãdo admonitionibus, exemplis ſanctorum dictis, cum ijs agitur: mox ad iurgia prorumpũt. Pati nõ poſſunt vinci ſeſe ratione, & à catholicis compelli ad confeſsionem veritatis. Si vota veſtra fratres accedũt, ſentẽtia mea hæc eſt: vt in hũc locũ patriarchalis trãſferat̃ ſedes: hîc pacatã, hîc chriſtiana religione dignã agere vitã licebit, ſi nõ tam lautam & opulentam, at pace plenam atq; concordia, Pacem dominus noſter generi ſuo quaſi hæreditariam legauit, pax ſectãda nobis: ipſi procul ab eius oculis agemus, & à noſtris ille. Non dubito Romanum pontificem, & imperatorem, cùm intelligent quibus in calamitatibus hæc verſetur eccleſia, facilè hoc noſtrum votũ cõprobaturos. Aſſenſere omnes. Hæc ille. Nũc cætera proſequamur. Dixerit hîc aliquis, ſi res ita habet, quòd neceſsitati parendo admittenda ſit impunitas: quis iam audeat promiſſam neceſsitate vrgẽte cõniuentiam hãc arrodere? Ve-

rùm nõ ſatis intelligũt,qui ita pronũciant,neq; quę loquũtur,neq; de quibus enunciant. Aliud enim eſt ceſſare ſeueritatem diſciplinę mero ſilẽtio,aliud promittere ad quoduis tempus limitatũ impunitatem,gladij præſertim ſpiritualis (de temporali gladio nihil ad præſens.) Hoc loco enixè contendo,nullatenus poſſe ab eccleſiaſticis ſummatibus pacta interuenire impunitatis. Sed ceſſandũ eſt(inquiunt)ab exerendo gladio cenſurę eccleſiaſticæ in eũ,qui ita ſit obduratus vt maleatoris incus:de quo ſcriptũ eſt:Frons meretricis facta eſt tibi,noluiſti erubeſcere.Si ergo ad tempus ſuſpenditur ſpiritualis gladius, cur nõ idipſum promittere licebit?Sed ignorãt viri illi excęcati,quòd quędam per ſe ſunt licita, quæ tamẽ nec ſub voto,nec ſub iuramẽto cadere poſſunt.Hoc enim eſſet imponere legem ſpiritui ſancto:Poſſum nũquàm ingredi religionem.Id autẽ vel iurare,vel vouere,nephas eſt & grande piaculum : ne quis videatur viã præcludere diuinę ſentẽtię.Sic em̃ vidua illa,quę Holofernẽ perdidit,loquitur Qui eſtis vos,qui tentatis dominũ?Nõ eſt iſte ſermo,qui miſericordiã prouocet,ſed potius qui iram excitet,& furorẽ accẽdat.Poſuiſtis vos tẽpus miſerationis domini,& in arbitriũ veſtrum diẽ cõſtituiſtis ei? Et apud Ioãnẽ.3,ait Chriſtus:Spiritus vbi vult ſpirat.Rurſumq; apud Paulũ:Spiritũ nolite extin-

guere. Quis em̃ ſpirituiſancto aut metas, aut tp̃a ponat? Rurſũ tñ iã ꝓſtratę caudã erigũt aſpides illæ ſurdæ, obturãtes aures ſuas. [Promittãt, inquiunt, eccleſiæ antiſtites] aliud tñ corde gerentes, & primo quoq; opportuno tẽpore à ꝓmiſsis reſiliãt. Promittas (vt Poëta inquit.) facito: quid enim promittere lædit? Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

[Eſto, inquiũt, ſtulta ſit ꝓmiſsio.] ſtultis tamẽ vult Ambroſius promiſsis reſcindi fidem, & in turpi voto mutari decretũ. Hoc dicẽtes, nec vocẽ ꝓpriã intelligũt. Ergóne eccleſia ſtultè aliqd aut infideliter promittet, quod ſtatim fixũ refigendũ ſit, qui nec in moribus quidẽ errare põt? Sic dũ leui quodã fuco extricare eccleſiã cõtendũt, eã ipſam Chriſti ſpõſam ſui erroris in moribus cõſciã perpetua nota inurunt. Hi ſunt fumi vẽditores, qui nihil aliud quã incautis tenebras offundũt: & cęcutiẽtiũ pedib⁹ ſtruũt offẽdiculũ. Ergóneverbũ dei erit ligatũ hoc impunitatis fœdere, quo dicitur: Si eccleſiã nõ audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publican⁹? Verbũ iſtud manet in æternũ. Nũquã ergo erit, vt qs ſibi tãtum tribuere poſsit, quòd in cõſortiũ eccleſiæ, vel ad momẽtũ qdẽ, recipere valeat cõtumacẽ. Hîc rectiſsimè cõpetit aptiſsima iuſtiſsimi Iob, appoſitiſsimaq; increpatio. Nonne (inquit) indiget Deus noſtro mẽdacio? Ceſſent igit̃ hæ præſtigię

Interimēſes, q̄bus ſub fuco cuiuſdā neceſsitatis legib⁹ diuinis vincula inijciunt. Cœlū (ait ille) & terra trāſibūt, verba aūt mea nō trāſibūt. Abſit omnis ſycophātia: impoſtura omnis, à diuinis legib⁹, actiſq; eius ſpōſę eccleſię publicis, quoties de fide agit aut morib⁹. Nullus eſt igit̄ in ea re (de qua ad pręſens agit̄) nec veræ, nec fictæ pactiōi aut cōuētioni ſuper promittēda impunitate gladij ſpiritualis loc⁹: quā tn̄ expectare videntur, q̄ petūt à ſede apoſtolica legatos deſignari, q̄ delegata ſibi poteſtate iuris relaxationē impiè poti⁹, quā pie ac religiosè, cōcedere & velint ac valeāt. Data eſt em̄ poteſtas in cōſtructionē, & nō in deſtructionē. Et q̄ nō eſt ꝑ me, cōtra me eſt. Qui nō colligit mecū, diſpergit. Hoc em̄ eſſet blaſphemiā obtrudere ſpōſæ Chriſti eccleſię id planè aſſeuerāte Paulo: Nō ſicut blaſphemamur, faciamus mala, vt inde eueniāt bona. Quis reſiſtit ei, & pacē habuit? Quænā impoſtura locū inuenire pōt aduerſus tā liq̄dos & apertos ſacræ ſcripturæ locos: id oīno vetātes, q̄d vafri q̄dā aſſentatores ſibi ac ſuis licere contendūt?

At ꝑmittēda ſunt (inquies) q̄ vetari nō pn̄t. Fateor eq̄dē, ſed retorto ī authorē iaculo. Quę pn̄t nō eſſe ꝓhibita, nullaten⁹ ſunt ꝑmittēda quales ſunt cōcubit⁹ iſti, de quibus ad præſens agitur, inceſtuoſi & ſacrilegi. Pariq; argutia refello, quod alij imprudēter obiectant, dū aiūt ſinēda

eſſe vſq; ad meſſem, quæ inimicus homo ſuperſeminauit zizania. Et id quidem ad rem noſtrã belliſsimè facit. Nam vt inimicus cẽſendus eſt, qui ſuperſeminat zizania: ita & qui ſata roborat & auget, atq; aucta prorogat & dilatat. Quod certè incõmodũ adferret poſtulata cõniuentia, aut impunitatem promittens diſpẽſatio. Atqui aliud eſt ſinere, quod arcere nõ poſsis: hoc eſt, tã tùm non punire: aliud vel ad ſeſqui horam in re ſuperis hominibusq́; exoſa diplomate diſpenſare, ſcriptoq́; vel ad momẽtũ probare. Qui eñ fouet zizania, tam inimicus eſt, quàm qui ſeminat. Hæc ita accipi velim, vt monitionis potius ad pręcauendum, quàm impetitionis ad condẽnandum vicem habeant. Non enim à veris tantùm cauendum periculis, immò & à veriſimilibus. Vt enim fluct⁹ maris & æſtus cauẽdi ſunt: ita & littus lubricum, vnde caſus imminere poſſit. Quòd ſi quis forſan petulantius æquo, huiuſmodi querelas pro futilibus habeat caſsisq́; & inanibus: (quod longè à nobis abſit tanti ſuſpitio mali) id eſt quod ſummè optarim. Malim enim falſò conquerentis ſuſtinere perſonam (modò ne quid tale, quod pleriq; verentur, accidat) quàm iuſtè conquerentis, ſi ea, quam timemus, calamitas ingrueret. Id enim nec principẽ Peripateticorũ latuit, qui, conſule Homero, ait: A fluctu atq; luto longè depelle carinam.

Sed neruoſius eſt, quod Paulus iubet: Non à præſente malo tantùm, verùm ab omni ſpecie mali abſtinere. Nec falſi potiùs quàm fallacis coniectoris notam deprecabor. Quis enim neget tutius eſſe timere & cauere, quàm incautũ intercipi, vbi agitur de re ſeria? cùm ſcriptum ſit: Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus: &, Qui timet Deũ, nihil negligit. Peſſimus eſt (fateor) in dubijs augur timor: nec tamen ſua vtilitate caret. Qua de re ita Poëta cecinit.

Quando ego non timui grauiora pericula ueris,
Res eſt ſoliciti plena timoris amor.

Id ſi locum habeat in carnis lubrico, quid de ea dicturi ſumus dilectione, de qua ſcriptum eſt: Fortis vt mors dilectio, dura vt infernus ęmulatio? Aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Vtcunq; res habeat: nemo iure commendauerit oſcitantiã ſeu incuriã, quã nimia ſecularitas reddit incautam. Commendabilior eſt prouidus timor, quã improuida ſecuritas. Ego verò quòd ad me attinet, an me ſuſpitio fallat, neſcio. Vnũ ſcio, non prorſus vanam huic negocio ſubeſſe ſiniſtrę alicuius coniecturæ occaſionem: ne ſcilicet temporanea iſta permiſsio, verſo ſemel in conſuetudinẽ vitio, extirpari nequeat. Quam

licèt expellas furca, tamen vſque recurret: vt canis à corio vix abſterrebitur vncto.

Quis neſcit ſemel infixo vulnere, perpetuam, eanq́; indelebilem, ſupereſſe cicatricem? Tranſit vulnus, at non deletur cicatrix. Tunc ſapere incipient, cum primùm dederit hæc cõtagio labẽ, & quidem in plures (vt ne coniuratos tantùm comprehendam) ſicut grex totus in agris vnius ſcabie cadit ac porrigine porci, Vuaq́; cõſpecta liuorem ducit ab vua. Quis enim tollat aut ſupprimat ex vlcere contracto longè lateq́; diſperſum toto orbe putorem? Proinde boni conſulturos non dubito hoc genus prouide admonitionis pios eccleſiæ preſules, quos ſynceræ religionis cura tangit, & angit: quorum officio nihil tam competit, quàm etiam nocturnas imminentibus periculis excubias toto obſeruare peruigilio. Quin & ſereno etiam tempore imminẽtes præcauere tempeſtates, ſtultosq́; reddere greges à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano?

Non ego vereor & ſuſpicor iſta ſolus: cũ hanc etiam nubem ſiniſtri aliquid allaturam præcauendum dixerint & ſcripſerint catholici ac verè pij in Germania principes. Cum quib⁹ ſi erro, libenter erro, potius eligens notam ſubire

nimiùm creduli in re tã piculoſa & ſeria, quàm in tanto ſerò ſapere periculo. Sera enim foret in fundo pœnitẽtia. Catholicorum enim reſponſio ſic habet ex prototypo, quod ad manus meas, cùm Bononiæ degerem, peruenit: Quod autem ad communionem ſub vtraq; ſpecie, cõiugia ſacerdotum, & ciborum atq; ieiuniorum differentias attinet: hæc quæ ſequuntur, à deputatis principibus & ſtatibus circa ea conſiderentur. Videlicet cùm ſub vna ſpecie communio pro laicis à temporibus Apoſtolorum obſeruata fuerit, nullumq́; initium huiuſmodi ſumptionis ſacramenti ſub ſpecie panis tantùm à quoquã oſtendi poſſet. Idq́; in Concilio Conſtantienſi ita teneri oportere præceptũ ſit. Deinde cùm ab initio ad hunc vſq; diẽ tam in Oriẽtali, quàm in Occidentali eccleſia, inauditum fuerit præsbyteros in ſacris exiſtẽtes matrimonium contraxiſſe, & in miniſterio præſbyterali permanſiſſe: aut eis, vt id facere poſſent, conceſſum fuiſſe. Tertiò cùm ciborum differẽtiæ, & ieiunia, in eccleſia vltra multa ſæcula non ex politica, ſed alijs Chriſtianis cauſis ſtatuta, mãdata, & obſeruata fuerint, exiſtimare maieſtates ſuæ, tanquàm Imperator & Rex catholici, pro ſingulari ſua prudẽtia facilè poſſunt, durum admodùm fore, ſi aliquid concedatur, aut indul-

geatur, quod conſuetudini Chriſtianæ & præceptis eccleſiæ, nūc vel in poſterum aduerſari, in eamq́; partem accipi poſſet. Nam etſi dicatur pontificem maximum in huiuſmodi articulis, & his qui poſitiui iuris ſunt, diſpenſare poſſe: tamen arbitrantur deputati principes & ſtatus, ſanctitatem ſuam poteſtate ſua ad ędificationē, & non ad deſtructionem vſuram.

Dubium præterea eſt, an huiuſmodi conſuetudines diuturnæ ab eccleſia catholica receptæ, & à Concilijs inſtitutæ & confirmatæ, pro articulis iuris poſitiui haberi debeant, aut poſſent: vel an ſummus pontifex cauſam in eis aliquid immutandi habere queat. Hactenus illi.

Audiant hæc, quorum intereſt, ſeſe opponere murum pro domo Iſraël, cùm eodem ſcelere taceatur veritas, quo exprimitur falſitas. Nec timeant vanos luporum rumores, ſcientes, quòd nemo & lupis, & gregibus ouium placere poteſt. Deum potius timeant, & præter eum ne timuerint alienum. Cuius laus, honor & gloria, nullo vnquam claudi poteſt ſæculorum volumine.

Ad lectorem ſatisfacto-ria huiuſce operis peroratio.

MIHI ſanè(niſi me mea vehementer fallit opinio)ſuccēſere,aut(quod leuius eſt) de me conqueri , nemo iure debebit,modò ſe velit pręſtare æquum iudicem,quòd nō ſtatim à poſtulatorum antidoto , ad conſtitutionis[de Interim]excutiendā formulam calamum tranſtulerim.Id enim ne fieret , in cauſa fuit,æditionum,quæ mihi in manus venerunt partim typis,partim calamo tantùm exaratæ, inter ſeſe variantes formulæ:cùm in quo deficit vna,abundet altera,detruncatis nimirum ſentētijs nonnullis.Quo id caſu conſilióve factū ſit, non admodùm difficile eſt diuinare . Paulatim ꝓgredit̄ pudor,nec ex ſuis ſtatim audet exire latebris.Dilationis cauſam auxit,quòd quorundam non fluxæ prorſus aut lubricæ fidei relatu,acceperim parari ad incudem quaſdam nationalis Germanici receſſus cōſtitutiones(quorum ductu & auſpicijs ipſi viderint) ſuper ec-

cleſiæ cæremonijs aut augendis, aut detrahen dis. Quæ cùm nondum in lucem venerint, expectanda mihi viſa eſt extrema manus: & tum demum ſecuris ad radicem arboris apponēda, adhibendumq́; ad præmunienda piorum pectora præſentaneum pharmacum. Nam (vt cętera taceam) nihil hactenus auditur de reſtitutione facienda ſpoliatis. Quod tamen primùm & potiſsimùm exequendum iura omnia clamitant. Cæterùm in his & alijs quibuſcunq; (illud obiter dicam) cuiuis per me licebit ſuū cōſtare iudicium liberum. Quod autē ad me attinet, eò adduci non poſſum, vt probem in regulis fidei ac morum eueſtigiò ſibi ſuccedentes in lucē prodire formulas: in verbis quidem plurimùm, ſenſu quandoq; etiam diſcrepantes. Standum (ſi quis me iudice certet) potius erat verbis ſententijsq́; præſcriptis à Tridentinis patribus, nec ab eis ad latum quidem vnguem diſcedendum: quàm quòd obrepere permitteretur noua quædā canonum facies, necdum ſolidis innixa fundamentis, nec conciliari vlla eccleſiaſticáve authoritate ſuffulta. Quin (vt rectè à quibuſdam annotatū eſt) hæc vna refutationis cauſa ſufficere poſsit: cùm verba proponuntur parum conuenientia cōſuetudini eccleſiæ, ac formæ loquendi iuxta vſum patrum. Quid quòd

non pauca adhuc reſtant, expuncta pridem ab Eckio, quòd redoleāt ſcabiei Lutheranæ ſaniē.

Vehementer timendum eſt, ne æditio altera alteri fidem aut deroget, aut alterius authoritatem obſcuret, aut eleuet. Id quod in ſecū altercantibus inſtrumentis vſu venire ſolet. Sermones in cauſa fidei variegati, quid aliud quàm ſenſus varios, aut meras pariunt logomachias, dum vnus alio appoſitius fidē ſuā ſe expoſuiſſe gloriabitur? Quos igitur variè alterato aut ſenſu aut ſermone ſuæ fidei profeſsionem, quę vna eſſe debet, (Vnus enim Deus, vna lex, vnum baptiſma) exponere delectat: in eum ipſum, niſi grauior etiam cenſeatur, labuntur errorem, quē diris acerbisq; increpationibus inſectatur Paulus in Corinthijs primæ cap. xj. illaudatos eos relinquēs, dum ait: Laudo vos? In hoc non laudo: quoniam ſcilicet conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt dominicam cœnam manducare. Ita nec eſt apud iſtos Chriſtianam fidem profiteri: Vnus eſurit, & alter ebrius eſt. Ebrius, qui ſe rectius aut ſentire, aut fidem ſuā exprimere contendit, atq; alteri tanquàm veritatis indigo inſultat. Quin nec alius alium expectat, ſed curſu præuertit, nolens communibus verborū incedere veſtigijs. At contrà iubet Paulus dicēs: Cùm conuenitis, inuicem expectate

idem eodemq; ſtylo fidem veſtram profeſſuri: vt omnes vno ore (quod alio loco idem ait) honorificetis Deum, & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti. Minimè tum conuiuitur, cùm priuata ſibi quiſq; & parat & deligit obſonia: nec vno omnes ſunt contenti cibo. Quibus illud competit:

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario nimiùm diuerſa palato.

Idem dixeris, vbi nō vna omnes ſunt profeſsione contenti. Nec recipiendum eſt, quod dici ab eis ſolet, hanc varietatem recipi ad tempus, [Interim &c.] Nā cōuerſa in eos ac detorta teli huius acie, prompta eſt reſponſio: Quòd lite pēdente, nihil debeat innouari. expectanda priùs controuerſiæ deciſio. Agnoſcant igitur ſe proprio mucrone cōfodi. Nam quid opus eſt glandibus abuti Interimenſium, frugibus in concilio Tridentino & repertis & receptis, & ita receptis, vt quod ſemel placuit, iam neq; ad momētum temporis vlla ex parte diſplicere poſsit? Quid cōmeruere patres, quòd iā verſo velo opponitur vmbra luci, quæ iam orbi vniuerſo illuxerat? Iniuriam facit maiori, qui quod minus eſt, illi componere audet. Stultum ſe agnoſcit Poēta, qui cedris corylos, qui matribus hœdos, qui magnis parua componere attentaſſet. Illud

eſt apud Mathematices ſtudioſos ſolẽne:lineas non paralellas,quò longius à puncto incidentię euagantur, eò latius à ſeſe diſtare. Qui à prima origine vadabiles ſunt fontes,exeunt tamen in alueos impermeabiles: ad hunc ſanè modum Interimenſis iſta vocata cõſtitutio ex comitijs prodiens laicorum:quæ rectiùs dicta fuiſſet nuda tolerantia,ſimpléxve permiſsio: Ea inquàm nunc parum diſtare videtur à conciliaribus Tridentinorum patrum placitis. Vereor tamẽ, & quidem vehementer, ne huiuſmodi diuerſitas turbas aliquando excitet,vix vlla authoritate aut ratione ſedabiles. Quis enim neſcit ex ſcintilla modica,vaſta plerumq; prodire incendia?tenueſq; ſurculos,in altiſsimas & præ craſſitudine nimia in inflexibiles arbores euadere? Diuinare cogor (qui vtinam falſus ſim vates) has vocabulorum nouitates in graues aliquando ſeditiones erupturas:cùm & id quoq; Paulus ſua authoritate confirmet, ita ſuum inſtituens Timothæum prioris epiſtolæ 6.cap. O Timothæe,depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum vanitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ: quam quidam promittentes

tem domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe erga omnes, aptum ad docendum. Docendum dicit, non temere contradicendum. Quid autem potius ac frequentius, quàm diſcordias ſolent parere nouitates? Vt ergo, quod iamdudum parturio, ſummatim pariam: reſecandos prorſus iudico nouitios iſtos Interimenſes canones, potiúsque relegandos, ad concilij præſcripta verba Tridentini. Audiendi ſunt patres, non docendi: ſequendi duces, non ad latum quidem pedis veſtigium declinandi. Non eſt præuaricandum à latis legibus, ſed viuendum ſecundum leges. Non inquirenda ratio, ſed ſequenda authoritas. Non fuco alteranda facies, ſed natiua forma tenenda. Hæc in genere delibaſſe ſufficiat, vſq; dum (vt iam dixi) conſummatum prodeat, quod Interimenſes moliuntur, opus.

Illud demum omittere nequeo, in quo textus ſic habet: Cùm multi, qui miniſterij eccleſiaſtici functiones tenent, duxerint vxores, quas à ſe dimittere nolint: concilij ſententia expectetur. Atqui iam lata eſt ſententia, Sacerdotem eccleſiæ Occidentalis eſſe coniugij materiam illegitimam. Iniuriam itaque facit ſacratiſsimæ ſynodo, qui eius decre-

ta reuoluere tentat. Quin videndùm accuratè, ne iſtud aut ſchiſma fouere videatur, aut hæreſim. Si enim nolint continere, cùm poſsint: ſchiſmaticum eſt nolle obedire: ſi verò nec poſſe ſe dicant, id planè eſt erroneũ. Nam fidelis dominus non ſinet nos tentari vltra id quod poſſumus, ſed faciet in tentatione prouentum, vt poſsimus ſuſtinere. Et id quidem probè in ſuo apologetico Eckius annotauit. Qua de re aliâs fuſius diximus in Cælibatu. Sicque aut ſchiſma iſtud olet aut hæreſim.

Lege, ſi fortè vacabit, Cardinalis Contareni apertam ſuper Interimenſibus quibuſdã articulis refutationem: cùm ſerpentino aſtu vſi quidam impoſtores, aſſererent Cardinalem illum Contarenum admiſiſſe per modũ [Interim'] quoſdam articulos (vt aiebant) cõcordatos. Porrò tantùm abfuit, vt ad iſta conniueret: vt præſcriptis etiam verbis id nũquam à ſe cogitatum profiteretur. Verba eius hæc ſunt in Apologetico Eckij pro D. legato Contareno: Nos, ne vlla in hac parte dubitatio relinquatur, ſed vt mens & voluntas no-

ram quacũq; ratione decidere:aut quòd aliqui articuli prædicti tractatus acceptentur, aut vſq; ad futurum concilium tolerentur, vel ſer uentur, diffinire voluiſſe: ſicut nec adhuc quidem decidimus, aut diffinimus. Sed tractatum prædictum totum, omneſque eiuſdẽ articulos ſummo põtifici, & Apoſtolicæ ſedi, in cõ cilio gñali, vel alio modo vt in ſcriptura dixim⁹ diffiniendũ remiſimus, queadmodũ & adhuc remittimus. Quam quidem ſententiam noſtram etiam Cæſareæ maieſtati declarauimus, ita nunc hoc ſcripto teſtamur, & cõfirmamus. Hæc ille. Hîc quoq; meminiſſe oportet ſanctio nis & profeſsionis Auguſtanę omnibus penè comitijs repetitę, vt & ipſa inuiolata perſeueret. Vide quot cuniculis agant vaferrimi iſti impo ſtores, vt ſua vel ad tempus fuco pacis ineundæ tecta dogmata ingerãt, quò maiora ſubinde incautis venena ſuffundant. Poteris etiam ex eo deprehendere, quid ſecum aduehat periculi, cu iuſuis nationalis receſſus comitialis conſtitutio: cùm eccleſia meritò dicere poſsit: Qui non eſt pro me, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cætera igitur, breuitatis cauſa, prætereo in ſuum differenda locum. Inciuile enim foret, (vt legislator ait) tota lege non perſpecta, certam velle pronunciare ſententiã.

Heîc ergo præſentis operæ modus eſto.
Ad eius honorem, decus, & gloriam: cuius immenſitatem tàm admirari debemus omnes, quàm capere nemo poteſt, aut comprehẽdere: qui eſt ſemper & ſuper omnia benedictus in ſæcula.

FINIS.

Deprehenſas in codice mendas inſigniores ſic emendato.

Folio 8. facie altera, linea 13. hęreticis, lege, viris. 18. facie altera, linea penultima. quæ nos, lege, quæ vos. 27. facie prima, linea, 10. monarchiæ, lege, monarchę. 29. facie prima, linea altera, & nemo, lege, vt. 30. facie altera, linea penultima. Cùm hęc, lege Cùm hîc 34. facie altera, linea 25. obſernare lege, obſeruare. 35. facie altera linea 25. prętereã, lege, prętereà 36. facie altera, linea 5. ſiue prudẽtia, lege, ſine prudentia. 37. facie altera, linea 10. ſeueram, lege ſeuerum. 39. facie prima, linea 4. limitarum, lege, limitatum.

F3

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE